119 —

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
2 E
21

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

49. 5. 51.



PARISIIS,

Apud Iacobum Dupuys, via ad D. Ioannem Lateranenſem, è regi. collegij Cameracenſis, ſub ſigno Samaritanæ.

1554.

Cum Gratia & Priuilegio.

BIBLIOTEC. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Regique ſumma.

Autum eſt Arnoldo Birckman & Iacobo Dupuys bibliopoli
quinti Imperatoris, & Henrici ſecundi Galliarum regis Chris
mi priuilegiis, ne quis intra ſex annos proximos, hoſce Galeni l
de Laboratium locorum notitia, à Leonharto Fuchſio Tubingen
læ profeſſore publico, latinitate donatos, & commentariis illuſt
imperiis & regno, aut imprimat, aut vendat iniuſſu dictorum
nterminatione confiſcationis id genus voluminum, contra princi
npreſſorum, & mulctæ arbitrariæ: vt apertè in diplomatis ea d
rincipem diſertè conceptis videre eſt.

oris edicto ſubſignabat Ioannes Obernburger:
verò Guyneau.

IOANNIS NEOVILLEI GENVILLANI, de pulchritudine animi,

LIBRI QVINQVE.

In Epicureos & atheos homines huius ſeculi.

AD NICOLAVM LOTHARINGUM comitem Vademontanum.

Additus eſt autem ad hoc opus, rerum inſigniorum quæ in eo continentur ſunt, Index locupletiſſimus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS.

Apud Galeotum à Prato, ad primam Regij Palatij columnam, Anno

1556.

Cum Priuilegio.

EXTRAICT DES REgiſtres de Parlement.

LA Court apres auoir veu la requeſte à elle preſentée par Galiot du Pré, libraire iuré en l'vniuerſité de Paris, afin qu'il luy fuſt permis, imprimer, ou faire imprimer & expoſer en vente deux petitz traictez nouuellement faictz & cõpoſez par Maiſtre Iean de Neufuille, Licentié en Loix, Prieur commendatoire de ſainct Chriſtofle de vie. L'un intitulé De pulchritudine animi, L'autre, Expoſitio in. 7. Pſalmos pœnitẽtiales, reueuz & corrigez par quatre Docteurs en la faculté de Theologie, à ce deputez, auec defenſes à tous autres libraires & imprimeurs, de ce reſſort, veüe auſsi la certificatiõ deſdictz docteurs, ſignée Benoiſt, Millon, Laurẽtius & B. à Congniaco, à la fin de cheſcũ deſdictz deux traictez, a permis & permet audict ſuppliant, imprimer, ou faire imprimer, & expoſer en vente leſdictz deux traictez, faiſant defenſes à tous autres Imprimeurs & libraires de ce reſſort, iceulx liures & traictez, imprimer ne vendre ſans le conſentement dudict du Pré, iuſques à ſix ans, ſur peine de confiſcation de ceulx qui autrement ſe trouueront imprimez, & d'amende arbitraire. Faict en Parlement le quatorzieſme iour de Iuillet, Lan mil cinq cens cinquante ſix. Collation eſt faicte.

Signé Dutillet.

IOANNIS NEOVILLEI GENVIL-LANI IN OPVSCVLVM *ſuum De pulchritudine animi, ad Nicolaum à Lotharingia Principem illuſtriſſimum,* Comitémque *Vademontanum Præfatio.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

NVlli cuiquam mirum videri debet, Illuſtriſsimè Princeps, ſi duabus ſibi inuicem contrariis rebus compactus mortalis ſimul & immortalis homo, ad deterioré partem plærúmque ſeſe ap-

plicet, idq; cupiat, amet, quærat & ſequatur, quod ſuæ primigeniæ veriorique naturæ vel maximè contrarium ſit. Nã ſimulátque lethalis primi parẽtis noxa, virus ſuum in omnem ſuam poſteritatem transfudit, illa membris noſtris congenita concupiſcentia, quam magis cõuenienti nomine D. Paulus nũc mortis, nunc peccati legem vocat, nũquam ceſſauit hominis animum ſuapte natura à labore ad libidinem propẽſum, in fraudẽ illicere. Quare factum, vt hominis animus qui ad Dei imaginem & ſimilitudinem eſt effictus, animus inquam, omniũ quæcũque benedictus Deus vnquã fecit, perfectiſsimum, diuiniſſimũ, nobiliſſimúmque opus, alia atque alia macula connotaretur, craſſis igno-

ignorãtię tenebris obduceretur, cor pori ſeruiret, immundæq; & corruptibili carni mãciparetur. Hinc illa peccatorum omniũ proluuies, hinc malorum omnium origo, hinc pro fecta miſerabilis humanæ vitæ conditio, quæ nos in tot variáque diſcrimina trahit. Primum enim, quid periculoſius damnoſiúſve aut à primigenia ſua natura viriliſque digni tate alienius eſt homini, homini inquam, ad imperatoriam regiámque dignitatẽ facto & nato, quàm quòd ſe huic concupiſcentiæ mancipet, totúmque addicat, non aliter atque cuipiã effronti impudicæq; meretrici? Hæc enim concupiſcentia eodem prorſus modo hominis animũ captiuat, quo impudens quæuis meretrix, nec aliter eundem faſcinat &

dementat, quàm doloſę fallacéſque meretricum illecebræ, fuci, mellita verba, blanduláque lenocinia. Sic ſibi obſtrinxit ſeruúmque reddidit Samſonem, Dalida: ſic Salomonem irretierunt infatuarúntque illæ idololatræ concùbinæ. Sic Herculem, ſi vera canunt poetæ, prorſus demẽtauit Omphale. Sed quid eſt quæſo, ita immutarier, indignéque vinci & mancipari, quàm planè obbruteſcere? Quid porrò ita obbruteſcere eſt, quàm epotis veneficæ Circes poculis, in varias brutorũ trãſire ſpecies, antiqua hominis dignitate priuari, ſuóque omnino moueri gradu? Hinc, hinc profectò, haud ita pridẽ orta eſt illa, quæ hactenus cum magno animorum omnium dedecore & exitio perdurauit, Epicureorum

ſecta,

ſecta, ex qua propè innumeri porci, híſque longè deteriores athei homines profecti ſunt, quorum impuriore vita effectum eſt, vt maxima vitiorum contagio in vniuerſum orbem proſerpſerit, indéque ſuccreuerint propè innumeræ maledoctorum, maléque eductorum hominum hæreſes. Hinc præterea eruperunt leones, pardi, vrſi, lupi, multáque alia magnæ feritatis animalia, quorum ſuperba crudelitate, pernicioſiſq; conatibus & moliminibus factũ, vt optimi quique opprimerentur, vim ſibi inferri humilium tenuiúmque ſimplicitas quereretur, mille indignitates ſorbere, milleq; acceptas iniurias muſſitare cogeretur innocentia. Quid multis agam? Inde exierunt vulpes

innumeræ,quæ & ſi minùs feræ mi-
núſque crudeles videantur,ob diſſi-
mulatum tamen ingenium ſuum
nonnunquam magis nocet, quàm
quæ aperta feritate graſſantur. Ab
his autem omnibus, omne iudiciũ,
omne conſilium,omnis denique ra
tio tã aliena támque diſiuncta ſunt,
quám eadem ab his brutis, de quo-
rum nominibus meritò dicuntur,
remota eſſe dignoſcuntur. Siquidẽ
qui porci,qui muli, qui equi, quíve
hirci pro animi, corporíſque ſui ha-
bitudine vocantur, ventri penitus
obediunt, eáque ſolùm amant, cu-
piunt,quærunt,laudant & ſuſpiciũt
quæ ad explendum delitiis volupta
tibúſque animum facere videntur.
propterea iſtius modi hominum a-
nimus immũdo velut cœno obuo-
lutus

lutus, primigeniam animi ſui pulchritudinem perdidit, ſicque perdidit, vt anima ipſa tantùm ſalis vice huiuſmodi hominibus ſolùm data eſſe videatur, ne ſcilicet eorũ corpora velut inanima, luminéque caſſa computreſcerent. Quòd ſi ad hæc pecuina ingenia, humanarũ diuinarumq; rerũ ignorãtiam adiunxeris, nulla profectò naturæ monſtra his tetriora inuenire poteris. Idem ferè dicẽdum de leonibus, pardis, vrſis, lupis. Horum enim animos ſic peruertit, ſicque ab omni ratione alienauit ſuperbia, crudelitas, rapacitas, inſatiabiliſq; auaritia, vt nihil prius habeant, quàm corruptis, & (vt ſic loquar) conſtupratis ſuffragationibus emendicatum honoris faſtigium, quàm indignis modis quæſita

dominia, quàm deniq; tot per fas & nefas ſimul congeſtæ opes. Nihil autem vilius, nihílve contemptibilius, quàm pietas, fides, iuſtitia, religio, literæ, diſciplinæ, & quæcũque alia ſunt animi hominis ornamenta. His autem nihilo meliores ſunt vulpini ingenij homines, qui licet nulla vi apertè noceāt, virus tamen ſuum pernicioſa quadam diſſimulatione tātiſper occultāt & tegunt, donec ſub fidei ſpecie inſidiosè fraudulentérque læſerint. Circunueniunt ergo vnumquẽq; & fallunt. Fallũt autẽ nos maximè, tum quum minimè putamus ab eis falli. Hec igitur monſtra quibus ferè vniuerſus exundat orbis, faciunt, vt miſerrimam humani generis conditionem ſæpius defleamus. Quis enim

nim non indoleat illud diuini vultus lumen in hominis animo obſignatum, id eſt, illam Dei impreſſam in nobis imaginem & ſimilitudinē, partim vitiorū ſordibus, partim craſſis ignorantiæ tenebris obduci? Aut quis nō miſereatur eorum ſortis hominū, qui vſque adeò peruerſo præpoſteróque iudicio ſunt, vt ſe totos fluxis & caducis huius mūdi rebus affigant, poſthabitis æternis incorruptibilibúſque animi bonis, neglectóque Dei & animi ſui cultu, atque his omnibus quæ ad mentis ſuæ ornamentum pertinere dicuntur? Atqui eiuſmodi homines non vident nec intelligunt, eorum omniū quæ non in homine modò, ſed etiam in vniuerſo mundo ſunt, optimum eſſe hominis animum, cum quo ſi ſo-

lem, lunam, lucidóſque planetas omnes, ipſúmque adeò ſtellatum firmamentum, ſi gemmas, vniones, lapillos quoſuis precioſos, aurum, argentum, imò verò terram ipſam & quæ in ea ſunt contuleris, nihil planè contuliſſe videberis. Hæc enim ad animum collata, nihil ſunt, aut ſi quid aliud minus nihilo & inferius ſit. Ex huius (vt probè intellexiſti) immortalis diuiníque animi pulchritudine, veſtra illa, qua nihil vobis prius eſt, nobilitas prodiit, nobilitas, inquam, quæ niſi nobili virtutis ſucco alatur, flacceſcit tandem & extabeſcit: imò verò intermoritur, inanémque & vacuum hominem relinquit, ac indignum, qui de nobilitatis nomine dicatur, eiúſque ſplendorem, dignitatem

tem, autoritatémque vendicet ſibi. Quàm fœlices igitur, quibus in pulchro corpore, pulcher quoque & nobilis, id eſt, ab omni turpium facinorum cõtagione alienus animus ſplẽdicat, virtutíſque ſuæ radios quaquauerſum profert & eiaculatur. Quàm verè nobiles, veréque beati, qui ſpoliato vetere homine, Chriſtũ Ieſum induerunt, cuius ſpiritu loti, regeniti, vereq́; nobilitati & illuſtrati, cum beata ſpe filiorum Dei adoptionẽ, illámque poſteriorem regenerationẽ expectãt, in qua ipſum quoque corpus, vt vnà cum pulchro, nobilíque animo, eiuſdem pulchritudinis, nobilitatis & gloriæ fiat particeps, in ſplendorẽ corporis Chriſti Ieſu reformabitur. Quo tẽpore totus homo, nõ vt Angelus modo, ſed velut

alter quidã Deus, Deo per Chriſtũ preſſiùs fixiúſque coniunctus, gaudebit, & regnabit in cœlis, ibíque æuo ſempiterno perfruetur.

Hæ ſunt igitur rationes (Princeps illuſtriſſime) quæ me mouerunt, vt iuxta ſelectas Ethnicorum, Chriſtianorúmque Philoſophorum ſen tẽtias, hominis animi pulchritudinem, quãta poſſem breuitate explicarem, ſpémque mihi confidentiùs excitarẽ, futurum, vt hoc meo qualiqualicũque ſcripto, & pulchritudinis & dignitatis animi ratio à mul tis clariùs intelligeretur, diligẽtiùs expẽderetur, hac quoque clariùs intellecta & diligentiùs expenſa, animus ipſe pluris fieret, & ambitioſiùs coleretur. Me quoque ad hoc opus mouit Epicureorum, hominúmque atheo-

atheorum huius ſeculi ingens, indiéſque ſuccreſcens numerus, quorum abominabilem hæreſin non ex ſacris literis modò, ipſorúmque orthodoxorum Patrum ſentẽtiis cõfutare, ſuíque erroris eos reuincere contendimus, verumetiam ex gẽtilium Philoſophorum ſancitis, quibus tamen Euãgelica lux non affulſit. Præter hæc mouit me vt id facerẽ, frequẽs recordatio tot maiorum tuorum, Regum, Ducũ, Comitum, potentiſſimorúmque Principũ, qui omnes ex hac vna animi pulchritudine, immortalẽ gloriam ſibi, ſuiſq; poſteris comparauerunt. In quibus vel maximè enituit tuus ille pater Antonius, qui ob genuinam animi ſui pulchritudinem, id eſt, bonitatem, immortale boni ducis nomen

ſibi meruit, cuius veſtigia, ſi tu, vt nũc facis, imitari nunquã ceſſaueris, idẽ quoque nomẽ quod omnibus regnis, omnibus imperiis longè melius eſt, hæreditario iure obtinebis. Sed & interim ad tãti nominis, id eſt, bonitatis amorem, tuorum animos excitabis, velut honeſtorum ſtudiorum incẽſor, ſedulúſque præmonſtrator paternæ gloriæ, ac virtutis. Quod te præſtare, faceréque doceat Opt. Max. Chriſtus Ieſus, quem obnixè precor, vt perpetuò tecum ſit cum omni benedictione & gratia.
Amen.

Summa

Summa eorum quæ in
ſingulis libris, & capitibus continentur.

PRimus liber quid pulchrum quídue turpe putauerint illuſtres Philoſophi, & quid de Deo, animæ immortalitate, & eius ſubſtantia ſenſerint, ſummatim explicat, idque ſequentibus capitibus.

Quid in hominis animo turpe, quídve pulchrum eſſe putauerint veteres Philoſophi. Cap. 1.
Vt Dei, ita & animi certam veteres Philoſophos habuiſſe notitiam. Cap. 2.
Quòd magna animi præſtantia, id eſt, diuinitate eius & pulchritudine moti philoſophi, eũdem, portionem vel abſciſſionem aut radium Dei dixerint. Cap. 3.
Veteres Philoſophos non temerè credidiſſe hominis animum ob ſuæ dignitatis præſtantiam, ad animum vniuerſi rediturum. Cap. 4.

SEcũdus quid Philoſophi illuſtres de animi dignitate & pulchritudine ſcripſerint, quídve de eodem ſenſerint, continet, habétque ſequentia capita.

Quid Triſmegiſtus de animi dignitate & præſtantia ſcripſerit. Cap.1.

Quòd non ſolùm animi pulchritudinem, ſed corporis etiam humani pulcherrimum opificium mirificè laudauerit extulerítque Triſmegiſtus. Cap.2.

Quàm perplexè & inconſtanter Hippocrates & Galenus de animi immortalitate, quæ pulchritudinis & dignitatis animi optima pars eſt, fuerint loquuti. Cap.3.

Quid de pulchro & bono Plato eiúſque interpretes ſcripſerint, Cap.4.

Quid pulchrum faciat ex Platone. Cap.5.

Quòd Plato animos iuſtitiæ virtutúmque pulchritudine inſignitos, poſt mortem maximis præmiis afficiendos, crediderit. Cap.6.

Quid de pulchro Plotinus Platonis interpres

terpres ſcripſerit, & qua via nos Deo ſimiles fieri poſſe putauerit. Cap. 7.

Quid de pulchro honeſtóque ſcripſerit Ariſtoteles. Cap. 8.

Multa Plutarchum de pulchri honeſtíque ratione pulchrè doctéque conſcripſiſſe. Cap. 9.

Non ſolùm prædictos Philoſophos de pulchro honeſtóque, id eſt, de vera animi pulchritudine eiúſque bono, pręclara ſcripſiſſe, ſed alios etiam haud illuſtres Philoſophos. Cap. 10.

Poëtas animi pulchritudinē, & quid in primis honeſtum eſſet intellexiſſe, ídque ſcitè admodum verſibus ſuis expreſſiſſe. Cap. 11.

TErtius liber ex illuſtribus Philoſophis animi turpitudinē aperit, & quæ pro ſua conſtabilienda hæreſi Epicurei & athei homines ex Platone & Ariſtotele deſumunt, refellit, ídque ſequentibus capitibus.

Veteres Philoſophos peccati quidem

deformitatem, ſed non primigeniæ noxæ cauſam cognouiſſe. Cap.1.

Quòd Triſmegiſtus vt primigeniæ noxæ cauſam, ita & regenerationis authorē intellexiſſe videatur. Cap.2.

Quòd Triſmegiſtus peccatum, animi deformitatem eſſe intellexerit. Cap.3.

Vt pulchri, ita & turpis rationē exquiſitè Platonem tenuiſſe. Cap.4.

Quòd vt pulchris animis præmia, ita turpibus vitioſiſque ſuppplicia aſſignet Plato. Cap.5.

Quur Plato turpes vitioſoſque animos in brutorum corpora abire confinxerit. Cap.6.

Proclum Platonis interpretem, idem cum illo ſuper vitij animorúmque turpitudine ſenſiſſe. Cap.7.

Vt pulchritudinis animi, ita & turpitudinis cognitionem habuiſſe Plotinum. Cap.8.

Æquè animi vitium ac virtutem Ariſtotelem intellexiſſe. Cap.9.

Epicureorum hæreſim multis cōfirmari, quæ nonnulli perperam tribuunt Ariſtoteli.

ſtoteli. Cap. 10.

Non Epicureos modò, ſed plæroſque Platonicos cũ Plutarcho, Auerroe, Oenomao, Theodorito Cyrenſi Epiſcopo, Beſſarione, aliiſque pluribus temerè affirmare, aut negatam ab Ariſtotele diuinam prouidentiam, aut ad lunam vſque duntaxat extenſam. Cap. 11.

Plutarchum, alióſque Philoſophos idẽ de animi turpitudine cum Platone & Ariſtotele cenſuiſſe. Cap. 12.

Poëtas omnia animi vitia, omnémque eius turpitudinem doctè ingenioſéque expreſſiſſe. Cap. 13.

LIber quartus ex ſacris literis, Chriſtianorúmque Theologorũ ſentẽtiis animæ turpitudinem palàm facit, ſequentiáque capita continet.

Vnam eandémque eſſe turpitudinis animi cauſam, apud Ethnicos Chriſtianóſque Philoſophos. Cap. 1.

Quomodo turpis anima fiat, iuréque turpitudinis nomine vocetur. Cap. 2.

Quæ ſit animæ facies, & quomodo vi-

tiis deturpetur. Cap.3.
Quomodo anima rugoſa dicatur, & quæ ſint illius rugæ. Cap.4.
Curuam animã eſſe quæ peccato mancipata fuerit. Cap.5.
Quomodo tetra & fuſca anima intelligatur, & quæ ipſius ſit nigredo. Cap.6.
Peccatricẽ,immundámque fornicatricem peccatoris animam dici. Cap.7.
Animã peccatoris hominis menſtruatam à Prophetis dici. Cap.8.
Lepra affici,leproſámque dici peccatoris hominis animam. Cap.9.
Quàm inueterata animę lepra,exitialis & pernicioſa ſit. Cap.10.
Peſtilentem,grauitérque olẽtem impij hominis animam, raucámque & inſuauem eius vocem. Cap.11.
Quibus modis peccatoris impiíque hominis anima, dignitatem pulchritudinémque ſuam recuperare poſſit. Cap.12.

QVintus liber nõ ſolũ dignitatẽ & pulchritudinẽ ipſius animæ,ſed futurã quoque beatitudinẽ ex ſacris literis & ortho-

orthodoxorum Patrum ſententiis explicat,ídque his capitibus.

Longè maiorem excellentiorémque pulchritudinem eſſe,quæ iuxta ſacras literas,orthodoxorúmque Patrum ſententias, hominis ineſt animo, quàm ea ſit, quę ſuperiùs iuxta Philoſophorum ſententias eſt explicata. Cap.1.

Vnde rerum omnium pulchritudo. Cap.2.

Primam luminis cœleſtis,id eſt,diuinę pulchritudinis portionem intellectuali naturæ impertiri. Cap.3.

Quàm pulchritudinem ſtatim creationis ſuæ initiò,hominis animus habuerit. Cap.4

Quòd Deus animam ſtatim ſuæ creationis initiò,Spiritus ſanctificatione,qua nihil pulchrius aut diuinius eſt,exornauerit. Cap.5.

Reſtituta nobis per filium Dei Spiritus ſanctificatione,credētium animos denuo renouari,ac denuo regenerari. Cap.6.

Quibus ex virtutibus decor quæratur animo. Cap.7.

Vnde faciei animæ venuſtas & decor. Cap.8.

Quæ in animæ membris pulchritudo. Cap.9.

Quæ in ſenſibus animæ perfectio. Cap. 10.

Magnam pulchritudinis acceſſionem animæ fieri ex Spiritus ſancti dotibus. Cap.11.

Veſtibus & fimbriis aureis reginæ, cuius Dauid meminit, magnam animæ notari pulchritudinem. Cap.12.

Animā ſponſam Chriſti & reginā, Deíque filiam dici, ex quo ſumma eius nobilitas dignitáſque ſignificetur. Cap.13.

Animam Deo ſimilem fieri. Cap.14.

Animam vnum cum Deo fieri. Cap.15.

Amantem Dei animam in amatum Deum tranſferri, ac in cœlis velut alterum in Deo Deum fieri. Cap.16.

IOANNIS NEOVILLEI GENVILLANI, de pulchritudine animi

LIBER PRIMVS.

Quid in hominis animo pulchrum, quídue turpe eſſe veteres putauerint Philoſophi.

CAP. I.

VETERES illi Philoſophi bonitatis, pulchritudiníſque animi haud neſcij, quid turpe, quid honeſtũ, pulchrúmue eſſet, ſcriptis ſuis nobis tradiderunt. Verùm cùm vitium turpis inhoneſtíque cauſam eſſe non ignorarent, vnde tamen vitium ortum eſſet, & vnde profectum,

in hominis ingenium irrupiſſet, prorſus neſcierunt. Vnde primigeniæ illius noxę ratio qua tantoperè ad peccatum reddimur procliues, fuit illis penitus incognita, turpis quidem & pulchri, id eſt, vitij & virtutis rationem tenuerunt, non tamen ita verè propriéque, & exquiſitè, vt Chriſtiani Philoſophi. Itaque eos non latuit pulchrum pulchro fieri: cõtrà, quod ſuopte ingenio pulchrum eſt, turpis præſentia ac communione turpe quoque fieri: ipſúmque turpe acceſſione turpis turpius fieri. Præter hæc putauerunt nos naturâ ipſa ad pulchrũ duci, cuius profectò mirabilẽ vim in pulchri decoríque ratione eſſe crediderunt. Hac enim ad turpe fugiendum honeſtúmque ſequendum animos noſtros inuitari inducíque cognouerunt. Siquidem naturæ bene inſtitutæ vis nos admonet incitátque, vt omne turpe, id eſt, quoduis vitiũ execremur ac fugiamus. Vitium enim contra naturam eſt. Quò fit, vt ſi naturæ conuenienter viuere velimus, cum virtute viuamus oportet. Ibi enim conuenienter naturæ viui

non

non poterit, ſi cum virtute minimè viuatur. Sapienter ergo viuere eum oportet, qui congruenter naturæ viuere volet. Quod Cicero ſcitè admodū docet libro tertio de Bonorum & Malorum finibus. Circunſcriptis igitur, inquit, his ſententiis, quas poſui, & his quæ ſimiles earum ſunt, relinquitur vt ſummum bonum ſit viuere, ſcientiam adhibentem earum rerum quæ natura eueniant, ſeligentē, quæ ſecundùm naturam, & ſiquæ etiam cōtra naturam ſunt, reiicientem, id eſt, conuenienter congruentérque naturæ viuere. Hæc ille. Quòd autem turpe naturâ execremur ac fugiamus, pulchro delectemur, ad idque trahamur, ibidem docet, atque in hanc quidem ſententiam. Quis autem, inquit, tam agreſtibus inſtitutis viuit, aut quis cōtra ſtudia naturæ tā vehementer obduruit, vt à rebus cognitione dignis abhorreat, eáſque ſine voluptate aut vtilitate aliqua nō requirat, & pro nihilo putet? Aut quis eſt qui maiorum, aut Aphricanorum, aut eius quem tu in ore ſemper habes proaui mei, cęterorúm-

quæ virorum fortium, atque omni virtute præſtantium, facta, dicta, cõſilia cognoſcens, nulla animi afficiatur voluptate? Quis autem honeſta in familia inſtitutus & educatus ingenuè, non ipſa turpitudine (etiam ſi eum læſura non ſit) offenditur? Quis animo æquo videt eum quem impurè & flagitioſè putet viuere? Quis non odit ſordidos, vanos, leues, futiles? Quid autem dici poterit, ſi turpitudinem non ipſam per ſe fugiendam eſſe ſtatueremus, quo minùs homines tenebras, & ſolitudinem nacti, nullo dedecore ſe abſtineant, niſi eos per ſe fœditate ſua, turpitudo ipſa deterreat. His multíſq; aliis, Cicero pulchro animos hominum delectari trahíque: turpi autem lædi & offendi probat, ſed multò fuſiùs clariúſque id docet & oſtendit primo de Officiis libro, quando ita cum Panætio Philoſopho loquitur. Principiò, inquit, generi animãtium omni eſt à natura tributum, vt ſe, vitam, corpúſque tueatur, declinétque ea quæ ei nocitura videantur, omniáq; quæ ſunt ad viuendum neceſſaria, inquirat & paret,

paret, vt paſtum, vt latibula, vt alia eiuſdem generis. Commune autem animantium omnium eſt coniunctionis appetitus, procreãdi cauſa, & cura quædam eorum quæ procreata ſunt. Sed inter hominem & beluã hoc maximè intereſt, quòd hæc tantum, quantum ſenſu mouetur, ad id ſolum quod adeſt, quódque præſens eſt, ſe accommodat, paulùm admodùm ſentiens præteritum, aut futurum. Homo autem qui rationis eſt particeps, per quam cõſequentia cernit, principia & cauſas rerum videt, earúmq; progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines cõparat, rebúſque præſentibus adiũgit atque annectit futuras, facilè totius vitæ curſum videt, ad eámq; degendam præparat res neceſſarias: eadémque natura, vi rationis hominẽ conciliat homini, & ad orationis & vitæ ſocietatem, ingenerátque in primis præcipuum quẽdam amorem in eos, qui procreati ſunt, impellítque vt hominum cœtus & celebrari inter ſe, & ſibi obedire velit, ob eáſque cauſás ſtudeat parare ea quę

ſuppeditent ad cultum,& ad victum, nec ſibi ſoli,ſed coniugi,liberis,cęteríſq; quos charos habeat,tueríque debeat. Quæ cura exuſcitat etiam animos ,& maiores ad rem gerendam facit. Poſt hæc Cicero aliud pulchrum inſitum naturâ hominis animo in hanc ſententiam dicit. In primíſque, inquit, hominis eſt propria veri inquiſitio atque inueſtigatio.Itaque cùm ſumus neceſſariis negotiis curíſq; vacui, tũ auemus aliquid videre, audire , ac diſcere, cognitionémque rerum aut occultarum aut admirabilium ad bene beatéque viuendum neceſſariam ducimus. Ex quo intelligitur , quod verum , ſimplex, ſyncerúmque ſit , id eſſe naturæ hominis aptiſſimum. Addit quoque Cicero ad hanc naturalem veri cognoſcendi cupiditatem, principatus appetitionem, quæ certè ſi virtute nitatur ſolidáque charitate in patriæ vtilitatem rémque publicam feratur,haud poſterius animi pulchrũ eſt. Huic igitur , inquit Cicero , veri videndi cupiditati adiuncta eſt appetitio quędam principatus , vt nemini parêre animus à natu-

natura bene informatus velit, niſi præcipienti aut docenti, aut vtilitatis cauſa iuſtè & legitimè imperanti : ex quo animi magnitudo exiſtit, humanarúmque rerum contemptio. Sed audiamus quæſo quàm doctè Cicero & paucis quidẽ verbis vim naturæ rationíſque explicet. Nec verò, inquit, illa parua vis naturæ eſt rationíſque, quòd vnum hoc animal ſentit quid ſit ordo, quid ſit quod deceat, in factis dictíſque qui modus. Itaque eorum ipſorum quæ aſpectu ſentiuntur: nullum aliud animal pulchritudinem, venuſtatem, conuenientiam partium ſentit: quã ſimilitudinem natura ratióque oculis ad animum transferens, multò etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in conſiliis factíſque conſeruandis putat, cauétque ne quid indecorè effœminatéue faciat, tum in omnibus & opinionibus & factis ne quid libidinosè aut faciat aut cogitet. Quibus rebus conflatur & efficitur id quod quærimus honeſtum, quod etiã ſi nobilitatum non ſit, tamen honeſtum ſit, quódque verè dicimus etiam ſi à nul-

lo laudetur, laudabile eſſe naturâ. Ex his Ciceronis verbis, vides non ſolũ qua in re ſitum ſit pulchrum & honeſtum naturale, ſed vnde etiã profecta primùm ſit gentilitia illa nobilitas: quæ cùm plurimùm à prima ſua inſtitutione remota ſit, nec ea pręſtet quæ proximè diximus, indigna eſt quæ nobilitatis nomine illuſtretur. Multò autem minùs Chriſtiana nobilitas: quæ multò arctioribus iuſtitiæ, fidei, religioníſque cancellis concluditur. Ex his præterea habes quibus pudefacere poſſis Epicureos & atheos homines huius ſeculi, qui iam nullo naturæ ductu, inſtinctúque moti, ſola ſua libidine in effrenem feruntur, effunduntúrque peccãdi licentiam. Quaſi verò humanam naturam penitus exuerint, brutámque induerint & ferinam. Nunc videndum an veteres Philoſophi ſufficiẽtem animi cognitionem habuerint, tantámque vt potuerint interioris hominis pulchritudinem dignitatémque penitus comprehendere.

Vt Dei, ita & animi certam Philoſophos veteres habuiſſe cognitionem.

CAP. II.

QVia veteres Philoſophi cùm Deũ cognouiſſent, non vt Deum glorificauerunt, neque grati fuerunt, ſed inſipidè fatuéque egerunt ſiue fruſtrati ſunt per cogitationes ſuas, & obtenebratum eſt inſciens cor eorum, nihil eis quicquam profuit Dei cognitio. Deũ tamen, vt Paulus ait, cognouerũt. Quòd ſi Dei cognitionem habuerint, eius etiam rei cognitionem habere potuerunt, quæ ad Dei imaginem ſimilitudinémque effićta eſt, id eſt ipſius animæ, quam primã ſecundùm Deum mentem eſſe crediderunt, eámque pulcherrimam, diuiniſsimámque & immortalem dixerunt. Sed quî fieri poteſt, vt hæc non ſit pulcherrima quam ad Dei Patris imaginem factã eſſe certiſſimum eſt? Quod certè Philoſophos non latuit. Nam omnes diuinæ immortalíque & ſemper exiſtenti rei, id eſt Deo animam noſtram συγγενέστατην, id *Rom. 1.*

eſt, cognatiſſimam , propinquiſſimámque putauerunt. Hinc illud Platonis, τῷ μὲν θείῳ καὶ ἀθανάτῳ, καὶ νοητῷ, καὶ μονοειδεῖ, καὶ ἀδιαλύτῳ, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως καὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχοντι, ἑαυτῷ ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν. Nonne, inquit, cenſes animum ei ſimillimum, quod diuinum eſt & immortale, & intelligibile, & vniforme, & indiſſolubile, & quod ſemper eodem modo ſimilitérque in ſe permanet? Idem quoque de anima loquẽs in Timæo, ita ſcribit, φυτὸν οὐκ ἔγγειον ἀλλ᾽ οὐράνιον· ἐκεῖθεν γὰρ ὅθεν ἡ πρώτη τῆς ψυχῆς γένεσις ἔφυ. Plantam non terreſtrẽ ſed cœleſtem animam vocat, quòd inde primum animi exordium fuerit. Quare nihil mirum, ſi in quinto de Legibus eandem animã θειότατον καὶ οἰκειότατον ὂν τῷ θεῷ, id eſt, diuiniſſimam & familiariſſimam Deo vocet. Iiſdem titulis hominem quoque inſignit Ariſtoteles, vt cuius animũ exterius aduentare ſeparatum quoque & ſegregatum eſſe certò ſciret, eúmque proptereà quidpiam diceret immortale & ſempiternum. Sic enim ille, χωρισθεὶς δέ ἐστι μόνον τοῦτο ὅπερ ἐστί, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ

Plato in Phædone.

Lib. 4. de Genera. animal.

καὶ ἀΐδιον: qui & alibi de eadem mente ita *In libris de* ſcribit, καὶ οὕτως ὁ νοῦς χωριστὸς καὶ ἀμιγὴς καὶ *Anima.* ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ. Atque, inquit, hoc modo mens eſt ſeparabilis, & impermiſta & impaſſibilis, ſubſtantia exiſtens *Lib. Tuſcul.* actu ſemper, & operans. Ariſtotelis men- *quæſt. 1.* tem explicare videtur Cicero quando dicit, Animorum in terris nulla origo inueniri poteſt. Nihil eſt enim, inquit, in animis miſtum, atque concretum, quod ex terra natum, atque factum eſſe videatur: nihílque humidum, aut flabile, aut igneum. His enim innatũ nihil eſt, quod vim memoriæ, mẽtis, cogitationis habeat, quo & prꝗterita, & futura prouideat, & cõplecti poſſit præſentia, quæ ſola diuina ſunt. Cæterùm hanc mentem cuius proximè meminit Ariſtoteles, primã ſecundùm Deum mentem facit Philo Iudæus. Deum autẽ mentem eſſe dicit quæ ſupra nos, quã & verbum diuinũ vocat, ἄτμητοι μὲν οὖν, inquit, αἱ δύο φύσεις, ἥ τε ἐν ἡμῖν τοῦ λογισμοῦ, καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς τοῦ θείου λόγου. Et paulòpoſt, νοῦς τε ὁ ἐν ἡμῖν, καὶ ὁ ὑπὲρ ἡμᾶς. Indiuiſibiles igitur, inquit, ſunt duæ naturæ,

turæ, ea quæ in nobis rationis, & ea quæ ſupra nos diuini verbi mens, quæ in nobis & ſupra nos. Hoc autem diuinū verbum characterē animæ dicit. Ipſam autē

Philo.lib.2. allegoriarū leg.

animam ſigillū Dei, δι' αὐτὴν εἶπεν τοῦ θείου λόγου, καὶ ἀοράτου θεοῦ ἐκείνου εἰκόνα, δόκιμον εἶναι νομίσας, ἧς εἴωθε, ᾗ τυπωθὲν σφραγῖδα θεοῦ, ἧς ὁ χαρακτὴρ ἐστὶν ὁ ἀΐδιος λόγος. ἐνέπνευσε γὰρ φησὶν ὁ θεὸς εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, πνοὴν ζωῆς, ὥστε ἀνάγκη πρὸς τὸν ἐκπέμποντα τὸν δεχόμενον, ἀπεικονίζεσθαι. διὸ καὶ τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα φασὶ θεοῦ γεγενῆσθαι, οὐ μὴν κατ' εἰκόνα τινὸς τῶν γεγονότων. Vult dicere Deum, id eſt filiū Dei quem Philoſophi mentem ſecundam, ſecundum regem, λόγον, diuinam progeniem, hominis archetypum, organū Patris, paſtorem, interpretem, & internuntium Dei, aliíſque nominibus vocare ſolent, nulli creatæ rei ſimilem effinxiſſe animā, ſed eam à Moſe, diuini verbi & inuiſibilis illius Dei imaginem dictam. Moſes enim probabile arbitratus eſt, etiā quod formatum fuit, ſigillum eſſe Dei, cuius character eſt verbum ſempiternū. Inſpirauit enim Deus,

in-

inquit, in faciem eius ſpiraculum vitæ. Geneſ. 1.
Quocirca neceſſe eſt eũ qui accepit ei qui emiſit aſſimilari. Ideo etiam hominẽ dicunt factum ad imaginem Dei, non ad imaginem alicuius rei creatæ. Hæc Philo, qui cùm Iudęus eſſet, altiùs de animi creatione loquutus eſt. Quanquam ferè omnes Philoſophi nõ aliter atque ille, loquuti ſunt, vt Plato, ipſéque Pythagoras, qui θεῖον γένος εἶναι τοῖς βροτοῖσιν dixit, idem quod Aratus apud D. Paulum. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Adde quod idem Pythagoras, idem Pythagoreus Iamblichus[c] idem quoque Pythagoreus Archytas ſentit. Act. 17.
Solebat enim dicere, hominem omnium animalium ſapientiſſimum, à Deo creatum, eíque datum, vt cognoſcere & intelligere poſſet omnia. Et idcirco impreſſam illius animo, omnium rationum plenitudinem, in quibus vniuerſæ rerum ſpecies continerentur, & omnium nominum ac verborum ſignificationes. Quæ nimirũ Theologia à Mercurio Triſmegiſto deſumpta eſt, qui multò antè & hominis creationem, & diuinam eius natu-

In Pimand. ram hisverbis expreſſerat. ὁ δὲ πάντων πατὴρ, ὁ νοῦς, ζωὴ καὶ φύσις ἀπεκύησε τὸν ἄνθρωπον αὐτῷ ἴσον, οὗ ἠράσθη ὡς ἰδίου τόκου. Omnium, inquit, pater genitríxq; mens, cùm ſit vita, & natura, peperit hominem ſibi ſimilem, quem tãquam propriam prolem dilexit. Horum Philoſophorum ſententias ſequutus Cicero, quandã ex iis quæ dicta ſunt, velut epitomen educit, & contrahit in hũc modũ, Tenemur, inquit, agnatione diuina: genus noſtrum, id eſt, eius qui verè homo eſt, nẽpe animus, nõ eſt à corporeo corruptibiliq; mundo, ſed à Deo. Propterea diuinum genus eſt nobis, vt haudquaquã timere quaſi morituri debeamus, imò fidendum eſt maximè, magnáque cum alacritate viuendũ, quibus non ſit cum his quę moriuntur agnatio, ſed cum Deo immortali.

Longè pluribus maioribúſque teſtimoniis probare poſſemus veteres Philoſophos non Dei modò magnam cognitionem habuiſſe, ſed humani quoque animi. Non abs re autem eos Dei cognitionem habuiſſe diximus. Nam ſi Dei, hominis arche-

archetypi & exemplaris cognitionē habuerint, ipſius quoq; hominis qui ad verbi diuini, imaginis & ſplendoris Dei exemplar effictus eſt, cognitionem habuiſſe certiſſimum eſt. Vtriuſque enim velut copulata, connexa & coniuncta eſt cognitio, & ea quidem difficilis & ſubobſcura, vt ait Cicero. Mihi quidē, inquit, naturam animi intuēti multò difficilior occurrit cogitatio, multóque obſcurior, qualis animus in corpore ſit, tanquam alienæ domi, quàm qualis cùm exierit, & in liberum cœlum quaſi in domum ſuam venerit. Si enim quod nunquam vidimus, id quale ſit intelligere nō poſſumus, certè & Deum ipſum, & diuinum animum corpore liberatū, cognitione complecti nō poſſumus. Non eſt tamen quòd ob huiuſmodi difficultatem in animi præſtantiam, dignitatémque & pulchritudinem inquirere, ac de eadem diſſerere non debeamus.

Lib. Tuſcul. quæſt. 1.

Quòd magna animi præſtantia, id eſt, & diuinitate eius & pulchritudine moti Philoſophi, eundem portionem vel abſciſsionem aut radium Dei dixerunt.

CAP. III.

SI Epicureis illis porcis, quorum in præfatione meminimus, minimę rationis mica ſupereſſet, tot Ethnicorum philoſophorum rationibus ac teſtimoniis pudefierent, & ad veritatis viam reuerterentur. Multò autem magis huiuſce temporis athei, qui non ſolùm cum Diagora Mileſio, & Theodoro Cyrenéſi, Deum eſſe negãt, ſed etiam cum Dicæarcho, aut Ariſtoxeno mortalem animum credunt, vſque adeò eos obcæcauit & in profundam ignorantiæ abyſſum præcipitauit brutalis viuendi ratio, immunda carnis voluptas, pernicioſáque peccandi cõſuetudo. Deum immortalem quid fiet huiuſcemodi mulis, equis, & hircis, qui repudiata aut neglecta Chriſti Ieſu doctrina, quam palàm probauit & confirmauit Deus, ad inſanias falſas animum adiunxerunt,

xerunt, ſeſéque impuriore viuendi modo totos contaminauerunt? Ecce enim non vident nec intelligunt huiuſmodi homines impuri, quòd ea veritatis luce deſtituti Philoſophi, quam doctor noſter omniúmq; Philoſophorum princeps Chriſtus Ieſus per vniuerſum terrarum orbē longè latéque diffudit, conſonantia tamen noſtræ profeſsioni fideíque Chriſtianæ ſcripſerunt, & vſque dum in terris vixêre, ea ipſa conſtanter deprædicarunt. Hoc nobis teſtabũtur pręclara illa axiomata quæ de animæ ratione poſteris tradiderũt, cuius ineſtimabili dignitate, pulchritudinéq; moti, portionem Dei eam eſſe dixerũt. Quod tametſi in ſe falſum ſit, ſi tamen ſanè intelligatur, veriſsimum eſt. Primus Pythagoras cenſuit animum eſſe per naturam rerum omnium intentum & commeantem, ex quo animi noſtri carperentur. Sed huius placitũ minimè placet Ciceroni. Non enim vidit, inquit Cicero, diſtractione humanorum animorum diſcerpi & dilacerari Deum, & quum miſeri animi eſſent, quod plęriſque contingeret,

Cicero de Nat. Deor. lib. 1.

tum Dei partem eſſe miſeram, quod fieri non poteſt. Addit quoq; Cicero, Cur autem quidquã ignoraret hominis animus, ſi eſſet Deus? Quomodo porrò Deus iſte ſi nihil eſſet niſi animus, aut infixus aut infuſus eſſet in mundo? Hæc Cicero, ſed fallitur ipſe, aliorſúmque Pythagoræ verba atque capi debuerunt, accipit. Non enim Pythagoras eò ignorãtiæ lapſus eſt, vt putauerit diuiſibilem eſſe Deum, quẽ toties ſimplicisſimę & indiuiſibilis ſubſtantiæ eſſe prædicauit, ſed propter maximam quã cum Deo habemus cognationem & affinitatẽ dicere voluit animos noſtros velut decerpi à Deo, vt & ipſi Chriſtiani Philoſophi hominem dicunt exiiſſe à Deo, quòd hominis animus imago & ſimilitudo Dei ſit. A Deo enim exiuimus quòd eius afflatus, aſpirationes, occultæ emiſsiones, expreſsionéſque ſumus, vt ex Moſe colligere poſsumus. Epictetus Philoſophus ἀποσπάσματα id eſt abſciſsiones quaſdam & auulſiones ex Deo, animos eſſe dixit. Dico autẽ abſciſsiones nõ ſubſtãtiales, ſed tales quales illi ſunt afflatus quo-

quorum meminit Moſes. Philo huiuſmodi afflatus ἀποσπάσματα magis proprio cō uenientíque nomine vocat, id eſt, ſcintillas, ſiue radios, velut ab illa luce diuina miſſos, & ex illa velut abſciſſos ſeparatóſq; , qui dum ab illa indiuiſibili immutabilíque luce emittuntur, nihil imminuitur, neque alteratur Dei ſubſtantia; niſi fortè dicere velis, Solis ſubſtātiam minui alteraríque, quando ſuos in terram eiaculatur radios; quod ridiculum eſſet dicere. Sed vt doceamus Ciceronē peſsimè Pytagorę verba interpretatum fuiſſe, audiamus Epictetum Philoſophum Pythagoræ mentem nobis aperientem. ἀλλ' αἱ ψυχαὶ μὲν οὕτως εἰσὶν ἐνδεδεμέναι καὶ συναφεῖς τῷ θεῷ, ἅτε αὐτοῦ μόρια οὖσαι καὶ ἀποσπάσματα, οὐ παντὸς δὲ αὐτῶν κινήματος, ἅτε οἰκείου συμφυοῦς ὁ θεὸς αἰσθάνεται. At animorum, inquit, qui eò vſque ſunt connexi & copulati Deo, ſeu ſint particulę eius & abſciſsiones, nōne motum ſeu proprium & coniunctum ſentiet Deus? Hìc vides per ſimilitudinē loquutum Epictetum, nec voluiſſe hanc cuius meminit, copulationem ſubſtātialem eſſe. Sed audiamus quęſo, Mercurium

Triſmegiſtum, ex cuius ſchola ſuam Philoſophiam hauſerat Pythagoras, hoc nobis clarè explicantem, ὁ νοῦς, inquit, οὐκ ἔστιν ἀποτετμημένος τῆς οὐσιότητος τοῦ θεοῦ, ἀλλ' ὥσπερ ἡπλωμένος, καθάπερ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς. Mens, inquit, non eſt abſciſſa ex ſubſtantia Dei, ſed quaſi explicata veluti Solis lux. Quare vt modò diximus aptè commodéque Philo Iudæus vocat eiuſcemodi explicationẽ, aut aſpirationem, vt cum Moſe loquar, ἀπαύγασμα id eſt radium, πᾶς ἄνθρωπος, inquit, κατὰ μὲν διάνοιαν οἰκείωται θείῳ λόγῳ, τῆς μακαρείας φύσεως ἐκμαγεῖον, ἢ ἀπόσπασμα, ἢ ἀπαύγασμα γεγονώς. Omnis homo, inquit, ſecundùm mentem ſimilatur cõmunicátque cũ verbo diuino, factus beatæ naturæ expreſſio, aut abſciſsio, aut radius. Sed neque aliter intellexit Plato animum noſtrum portionẽ Dei eſſe. Quî fieri enim potuit, vt Plato poſuerit diuiſibilem eſſe ſectilémq; Deum, quem teſte Porphyrio toties indiuiſibilem τὸν μένοντα τῆς ἑαυτοῦ ὑποστάσεως, id eſt, permanentem in vnitate ſuæ ſubſtantiæ dixerit? Sed vt ego vnico tantùm Platonis teſtimonio mendacij reuincam eos qui hac in re Platoni

Philo. lib. 2. Allegoriarum leg.

toni impoſuerunt, oſtēdā ex eius placitis non ſolùm immortalē, vniformē indiſſolubilē eſſe animā, ſed multò magis Deum ipſum quem prorſus ſecundùm ſeipſum exiſtere, & ſecūdum eadem ſemper ſe habere nō ſemel pronunciarit. Sic ergo ſcribit, σκόπει δή, ἔφη, ὦ Κέβης, εἰ ἐκ πάντων τῶν εἰρημένων τάδε ἡμῖν ξυμβαίνει, τῷ μὲν θείῳ, καὶ ἀθανάτῳ, καὶ νοητῷ, καὶ μονοειδεῖ, καὶ ἀδιαλύτῳ, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως καὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν. τῷ δὲ ἀνθρωπίνῳ, καὶ θνητῷ, καὶ ἀνοήτῳ, καὶ πολυειδεῖ καὶ διαλύτῳ, καὶ μηδέποτε κατὰ τὰ αὐτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ ὁμοιότατον αὖ εἶναι σῶμα. hoc eſt, Animaduerte ô Cebes, num hæc ex omnibus quæ dicta ſunt cōſequātur, videlicet ipſi diuino, immortali, intelligibili, vniformi, indiſſolubili, ſemper eodemmodo & ſecūdum eadem ſibimet habenti, animam eſſe ſimilimam: humano verò, mortali, nec intelligibili, multiformi, diſſolubili, nunquam eodē modo ſibimet ſe habēti ſimilimum eſſe corpus. Sed alibi mentem ſuam paucis verbis aperit Plato, animam dicēs opus eſſe Dei, non Deum ipſum. Nam ſi verè pars Dei eſſet, Deus eſſet, nec diceretur opus Dei.

Plato in Phædo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sic enim ſcribit teſte Plutarcho. τὸ μὲν λογικὸν ἄφθαρτον, καὶ γὰρ τὴν ψυχὴν οὐ θεόν, ἀλλ' ἔργον ἀΐδιον θεοῦ ὑπάρχειν, partem rationalem eſſe immortalem. Etenim animam quidem non Deum eſſe, ſed opus æterni Dei. His omnibus apertè ſuffragatur Ariſtoteles, qui mentem exterius progredi καὶ θεῖον μόνον dicit. λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια. Supereſt, inquit, ſolam mentem exterius ingredi, & ſolam diuinam eſſe, cuius operatio non communicat cum actione corporea. Quod ſic ab Alexādro explicatur, ὁ θύραθεν, inquit, καὶ ἡμῖν γινόμενος καὶ ἄφθαρτος, ἄφθαρτος δὲ, ὅτι ἡ φύσις αὐτοῦ τοιαύτη. ὁ οὖν νοούμενος ἄφθαρτος ἐν ἡμῖν νοῦς οὗτός ἐστι, ὅ τι χωριστός τε ἐν ἡμῖν νοῦς, ὃν καὶ θύραθεν Ἀριστοτέλης λέγει, νοῦς ὁ ἔξωθεν γινόμενος ἐν ἡμῖν. Hęc ille. Quāquā ſunt qui putant eūdē de vniuerſali intellectu loqui. Rurſus Ariſtoteles de hominis mēte ita (vt iā diximus) ſcribit, καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς καὶ ἀμιγὴς καὶ ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ. Atq; inquit, hoc modo mens eſt ſeparabilis & impermiſta & impaſsibilis, ſubſtantia exiſtens actu ſemper, & operās. Et hoc certè ipſum ſolum

Lib. 4. de Generat. Animal.

lum eſt, id eſt, ſolam ipſam animam ſeparari poſſe dicit, tanquam ſempiternum à corruptibili. ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ. τὰ δὲ λοιπὰ μόρια τῆς ψυχῆς, φανερὸν ἐκ τούτ' ὅτι οὐκ ἔστι χωριστά, inquit, ille. Quæ omnia tã clara támque aperta, miror non intelligere recentiores quoſdam ineptè meo iudicio philoſophantes, Ariſtotelíſque verba, quò fert libido impudenter detorquentes. Miror præterea Theodoritum, Cyrenſem Epiſcopum, virum doctum & ſanctum hoc non animaduertiſſe, Themiſtium quoque eò ignorantiæ lapſum, vt animum agentem, intellectum vniuerſalem putaret, id eſt, vnam omnium animã eſſe crederet, quod eſt falſiſſimũ. Nos tamen non inficiamur Deum, cuius quidã velut afflatus expreſſio, explicatio, emiſſio, abſciſſio, & radius mens noſtra dicitur, ob ipſius quam ipſa præ ſe fert imaginem, magnum illum intellectũ dici poſſe. Ille enim ſolus animorum omnium illuminatio, atq; etiam animatio verè dici poteſt: quod & credidit

Pythagoras, Plutarcho & Cicerone teſtibus. Vnum enim Deum eſſe fatetur in mundo ipſo, totum in toto, omnes circumquaque cõſiderantem generationes. Seculorum omnium temperiem, opificẽ ſeu lumẽ ſuarum facultatum & operum, in cœlo lumen, omnium patrem, mẽtem animationémque omnium & motũ. ὁ μὲν θεὸς εἷς, αὐτὸς δὲ οὐχ ὥς τινες ὑπονοοῦσι, ἐκτὸς τῆς διακοσμήσεως, ἀλλ' ἐν αὐτῇ ὅλος ἐν ὅλῳ, τὸν κύκλῳ πάσας ἐπισκοπῶν γενεάς. ἐστὶ κρᾶσις τῶν ὅλων αἰώνων, καὶ φῶς, τῶν αὐτοῦ δυνάμεων καὶ ἔργων ἀρχὰ πάντων, ἐν οὐρανῷ φωστὴρ, καὶ πάντων πατὴρ, νοῦς, καὶ ψύχωσις τῶν ὅλων ἁπάντων κίνασις. Hæc ille, cuius verbis rurſus vides quomodo idem Pythagoras animos noſtros à Deo, quem animum cenſuit per naturam rerum omnium intentũ & cõmeantem, decerpi intellexerit. Voluit enim dicere Deum omnium patrem, ſed in primis cunctarum rerum ψύχωσιν, id eſt animationem eſſe. Animum tamen, non animationem vertit Cicero, nobis nimirùm, ſed præter opinionẽ ſuam declarans, quam ob cauſam Pythagoras Deum,

Deum, animationem ſiue animum noſtrum vocaſſet, quia ſcilicet, inde animi noſtri carperentur, id eſt, velut diſcerperentur, vt diximus.

Veteres Philoſophos non temere credidiſſe hominis animum ob ſuæ dignitatis & pulchritudinis præſtantiam ad animum vniuerſi rediturum.

CAP. IIII.

VEteres Philoſphos tres hypoſtaſes in ſumma illa diuinitate, à qua, & per quã, & in qua omnia ſunt, poſuiſſe certiſſimum eſt. Harum primam, patrem, primum regem, principium primum, ſummum bonum, primam diuinitatem, maximam mẽtem, Pythagoras, Plato, Plotinus, Proclus, Numenius Pythagoreus dixerunt: Alterã verò hypoſtaſin, filium, ſecundum regem, mentem quoque Plato, Proclus, Plotinus, & Numenius nominauerũt: Mentem ab æterno genitam Porphyrius: Mentem & prolem diuinam Triſmegiſtus: Mẽtem à pa-

tre genitam, ideámque totius pulchritudinis, Plotinus, filiam ſummi boni Macrobius, verbum diuinum, exemplar & τὸν πληρέστατον τοῦ θεοῦ λόγον, id eſt pleniſſimum Dei verbum, primogenitum filium Dei, ſummum ſacerdotem & quendam velut τελετάρχον καὶ μυστάγωγον, id eſt initiationum; myſteriorúmque principẽ, (quibus nominibus vtitur, híſque aptiſſimè appellat Chriſtum Ieſum D. Dionyſius,) characterem præterea & paſtorẽ & regem, & Angelum & internuntium interpretémque ac aliis quoque nominibus vocat Philo Iudæus. Tertiam autem ſubſiſtentiam ſiue hypoſtaſin, quam nos ſpiritum ſanctum dicimus, tertium regẽ, tertiũ quoq; principium vocarũt Plato, Proclus, & Plotinus. Tertium numen Numenius. Rurſus animam mundi, Plato, Proclus, & Plotinus. Spiritum Triſmegiſtus. Scribit enim Triſmegiſtus eo omnia indigere, portari ab eo omnia ſecundùm dignitatem, omniáque viuificari & nutriri. Credit præterea eundem à ſancto fonte dependentem ſpiritum, omnibus ſpiritibus animãtibúſque auxilia-

to-

torem eſſe. Sic enim Triſmegiſtus in ſermone ad Æſculapium. τούτου τοῦ πνεύματος, οὗ πολλάκις προεῖπον, πάντα χρῄζει, τὰ πάντα γὰρ βαστάζων, κατ' ἀξίαν ζωοποιεῖ καὶ τρέφει, καὶ ἀπὸ τᾶς ἁγίας πηγῆς ἐξήρτηται, ἐπικουρον πνεύμασι καὶ ζώοις ἅπασιν ἀεὶ ὑπάρχων. Et hæc profectò illa eſt animatio mundi, ad quam ſolutus corpore animus redit, vt Plutarchus ſcribit. Πυθαγόρας, inquit, καὶ Πλάτων ἄφθαρτον εἶναι ψυχὴν, ἐξιοῦσαν γὰρ πρὸς τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν, ἀναχωρεῖν εἰς τὸ ὁμογενές. Hæc fuit Pythagoræ & Platonis ſententia, incorruptibilem eſſe animam. Exeūtem autem reuerti ad animā vniuerſi, ad ſuum genus. Vocat autē animam vniuerſi, hūc ſpiritū, cuius Triſmegiſtus meminit, à quo velut decerpi animos, Pythagoras, & eoſdem ὑπὸ θεοῦ ἐλλάμπεσθαι, id eſt, & à Deo radiare ſiue relucere Simplicius dixit. Quem totius cœli animam Plato exiſtimauit, viuificationem vniuerſi Triſmegiſtus, animationē mundi Pythagoras, poſt Pythagoram idem quoque ſcripſit Plotinus. Sic enim ille, Illud primum, inquit, quíſque cogitet, quòd hæc totius mūdi animatio cun-

Plotinus de tribus ſubſiſtentiis.

cta animantia creauerit, eíſq; vitã inſpirauerit, animalia inquã omnia quæcunque celat mare & tellus, quæ volãt in aëre, & quæ ſunt in cœlo aſtra diuina. Hæc præterea magnũ quoq; hoc cœlum exornauit: nec ſolùm hoc, ſed omnia quoque rectè atque ex ordine ducit & regit, exiſtẽs altera vis & natura, ab his quæ temperat & mouet, & quæ viuere facit. Nihil igitur mirum ſi ad eam redeat animus à qua primùm profectus eſt. Quod certè chriſtianæ fidei maximè eſt conſentaneũ. Nã à ſpiritu ſancto cuncta contineri cunctáque animari & viuificari canit ſcriptura, canit & Chriſtiana ecclesia, Emitte, inquit Dauid, ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Ad huiuſ-
Pſal.103. modi igitur ſpiritum creatorem & afflatorem ſpirituũ omnium, redituri ſunt animi noſtri, priùs tamen ab eodem ſpiritu regeniti & noui facti. Spiritus, inquit Salomon, reuertetur ad Dominum qui dedit illum. Sic autem reuertetur vt ab eo
Eccleſiaſt. 12. profectus, non auulſus, eidẽ perpetuò cõiũgatur. Quod ſatis nobis aperit & manifeſtat diuinus ille Chriſti Ieſu ſermo, quẽ paulò

paulò antequàm moreretur, ad patrem ſuum hunc in modum habuit. Non pro eis, inquit, rogo tantùm, ſed & pro iis qui crediturí ſunt per ſermonē eorum in me: vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, vt credat mundus, quòd tu me miſeris: & ego gloriam quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnū, ſicut & nos vnum ſumus, ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum. huc vſque Chriſtus Ieſus. Sed neque hãc futuram animorum noſtrorum cum Deo per Chriſtum Ieſum coniunctionem, neque iſtam ſpirituum, de qua loquimur, ad animam vniuerſi reuerſionem, ſatis intelligere videntur quidā huiuſce temporis Philoſophaſtri, ne dicam Epicurei ac athei homines, nouā neſcio quam vniuerſi animā, vniuerſum terrarum orbem animantem ſomniantes, cuius quidē quaſi ſubſtātiales radij aut ſcintillæ ſint, particulares noſtrûm omnium animę. Atqui hoc ipſum nec Pythagoras, nec Plato, nec alij Philoſophi vnquā excogitarunt. Sint igitur nobis, vt ſomnia, meráque deliramenta quæcunque in hãc

partem effutierunt impudentes illi Philoſophaſtri. Sed vt ad rem reuertamur, nõ parum dignitatis animis noſtris plærique illuſtriores Philoſophi tribuunt, quòd à Deo afflatos, Deo συγγενεστάτους, ὁμοιοτάτους & οἰκειοτάτους, animos ad Deũ quoq; tandẽ reuerſuros, cum eóque ſempiterno æuo perfruituros cõſtanter pronũciẽt. Quod certè noſtri temporis Epicureos, eorúmque conſortes atheos homines valde pudefacere deberet, cùm videant ſe ſuæ impurioris pecuinæq; vitæ ac extremæ ignorantiæ argui, ſuíque pernicioſi erroris reuinci, idq; à prophanis Ethnicisq; Philoſophis, quibus ſi ea lux affulſiſſet, quæ his porcis, quod quæſo nobis ſolidę fidei veritatíſque Chriſtianæ dogma reliquiſſent? Sed de his hactenus dictum ſit. Nunc ad primæ notæ primíque nominis Philoſophos accedamus, eóſq; ſigillatim excutiamus, vt ſcitis eorũ placitis ac ſancitis animi dignitatem, pulchritudinémque magis atq; magis aſſeramus, & explicemus.

FINIS LIBRI PRIMI.

IOANNIS NEOVILLEI GENVILlani, de pulchritudine animi,

LIBER SECVNDVS.

Quid Triſmegiſtus de hominis animi dignitate pulchritudinéque ſcripſerit.

CAP. I.

QVIA Mercurius Triſmegiſtus ferè omnium Philoſophorum antiquiſsimus perhibetur, ab eo incipiendũ, primóque eum excutiendum duximus. Fuit enim Mercurius eo tempore quo Moſe iam nato, floruiſſe putãt Athlantem Aſtrologum, Promethei Phyſici fratrem, ac maternum

auum maioris Mercurij, cuius nepos fuit hic Mercurius, τεισμέγιστος, id eſt, ter maximus meritò nominatus. Nã præterquàm quod, vt quidã volũt, maximus rex, & ſacerdos fuerit, maximus quoque Philoſophus iure dictus eſt: ab eo enim eiúſque ſchola, magnorum Philoſophorum, Pythagoræ, Platonis, aliorúmque plurium Philoſophiam, meliorémque doctrinam profectam videmus. Aliam cauſam affert Suidas quamobrẽ τεισμέγιστος dictus fuerit: eo enim nomine, idcirco vocatũ ſcribit, quòd de Trinitate oraculũ edidiſſet, dicẽs in Trinitate vnã eſſe diuinitatẽ, his verbis. Erat lumen intellectuale, ante lumen intellectuale. Et erat ſemper Mens Mẽtis luminoſa. Et nihil erat, quã horum Vnitas, & Spiritus omnia continens. Extra hunc non Deus, non Angelus, non ſubſtantia vlla alia. Omnium enim Dominus, & Pater & Deus, & omnia ſub ipſum & in ipſo ſunt. Nam Verbum eius perfectum & fœcundum, & opifex, puer in fœcũda natura, & in aqua fœcũda, prolificã fecit aquã: ſed præſtat ipſius Suidæ

Suidę verba ſubiicere; quibus fortaſſe Grę-
ci ſermonis amatores magis delectabun-
tur. ἑρμῆς, inquit, ὁ τρισμέγιστος οὗτος ἦν αἰ-
γύπτιος σοφός. ἤκμαζε δὲ πρὸ τοῦ φαραώ. ἐκέ-
κλητο δὲ τρισμέγιστος, διότι περὶ τριάδος ἐφθέγ-
ξατο εἰπὼν ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα. οὕτως
ἦν φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς
νοὸς φωτεινὸς, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἡ τούτου ἑνότης,
καὶ πνεῦμα πάντα περιέχον. ἐκτὸς τούτου οὐ θε-
ὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐκ οὐσία τις ἄλλη. πάντων γὰρ
κύριος καὶ πατὴρ ὁ θεὸς, καὶ πάντα ὑπ' αὐτὸν,
καὶ ἐν αὐτῷ ἐστίν. ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ παντέλειος ὢν
καὶ γόνιμος, καὶ δημιουργὸς ἐν γονίμῳ φύσει πεσ-
ὼν, καὶ γονίμῳ ὕδατι, ἔγκυον τὸ ὕδωρ ἐποίησε.
Mercurius ergo Triſmegiſtus in eo dialo-
go qui Pimander inſcribitur, poſt affabrè
explicatam mūdi ipſius creationē, Patrē
Deum, quem lucē & vitam vocat, ex vitā
& luce hominem creaſſe, vt is ad vitā rur-
ſus lucémque tranſcenderet, ita ſcribit.
φημὶ ἐγὼ ὅτι ἐκ φωτὸς καὶ ζωῆς συνέστηκεν ὁ πα- In Pimand.
τὴρ τῶν ὅλων, ἐξ οὗ γέγονεν ὁ ἄνθρωπος. εὖ φημὶ
λαλῶν. φῶς καὶ ζωή ἐστιν ὁ θεὸς, καὶ ὁ πατὴρ, ἐξ
οὗ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος· ἀλλ' οὖν μάθῃς ἑαυτὸν ἐκ
ζωῆς καὶ φωτὸς ὄντα, καὶ ὅτι ἐκ τούτων τυγχά-
νεις, εἰς ζωὴν πάλιν χωρήσεις. Agnoſce, quęſo,

hìc tu quicunque ex Epicureorum vel atheorum hominum grege, quam hîc dignitatem, pulchritudinémq; homini tribuat Triſmegiſtus. Ex iis enim, quæ ſoli Deo tribuuntur, id eſt ex luce & vita hominem componit. Sed quid luce & vita aut pulchrius aut melius? Plus eſt, quod etiam hominem ipſum, per Dei cognitionem Deo ſimillimum, atque etiam in

In Pimand. Deum tranſire facit. ἐνόησας, inquit, ὀρθῶς, ὦ οὗτος. κατὰ τί δὲ ἐννόησας ἑαυτὸν εἰς αὐτὸν χωρεῖν, ὅπερ ἔχει ὁ τοῦ θεοῦ λόγος. Propterea haud immeritò pulchrum hominem vocat, quòd eius Patris ferat imaginem, in quē tādem ſit tranſiturus, eius inquam Patris, qui totus lux, totúſq; vita eſt, qui ſua ipſius forma, quam in homine, velut in filio ſuo videt, delectatus, ſua omnia opera humano

In Pimand. vſui conceſsit. ὁ δὲ πάντων πατὴρ ὁ νοῦς, ὢν ζωὴ καὶ φῶς, ἀπεκύησεν ἄνθρωπον αὐτῷ ἴσον, οὗ ἠράσθη ὡς ἰδίου τόκου, περικαλλὴς γάρ, τὴν τοῦ πατρὸς εἰκόνα ἔχων. ὄντως γὰρ καὶ ὁ θεὸς ἠράσθη τῆς ἰδίας μορφῆς, καὶ παρέδωκε τὰ ἑαυτῷ πάντα δημιουργήματα. Vt autem Triſmegiſtus oſtendat, quibus modis homo Dei filius, congenitam ſibi pulchritudinē, virilémque

que dignitatem ſartam tectam conſeruare poſsit, vult eum ante omnia, bonum, pium, purum, religioſúmque eſſe, quòd mẽs ſolis piis, puris, religioſiſque animis adſit, eíſq; magnum agẽdarum Deo gratiarũ argumentũ det, ob largã illius quã experiuntur bonitatem. Etenim mente eadem duce, ſenſuum illecebras, letiferáque deuitãt lenocinia, & quod maius eſt, turpibus blanditiis aditum intercludunt, imò verò & libidinum omniũ fomitem extinguunt. Ille ergo de mente opifice, id eſt Dei verbo, hunc in modum ſcribit, *In Pimand.*
παραγίνομαι ἐγὼ ὁ νοῦς τοῖς ὁσίοις καὶ ἀγαθοῖς καὶ καθαροῖς καὶ ἐλεήμοσι, τοῖς εὐσεβῶς βιοῦσι, καὶ ἡ παρουσία μου γίνεται βοήθεια, καὶ εὐθὺς τὰ πάντα γνωρίζουσι, καὶ τὸν πατέρα ἱλάσκονται ἀγαπητικῶς, καὶ εὐχαριστοῦσιν εὐλογοῦντες καὶ ὑμνοῦντες τεταγμένως πρὸς αὐτὸν τῇ στοργῇ, καὶ πρὸ τοῦ παραδοῦναι τὸ σῶμα ἰδίῳ θανάτῳ μυσάττονται τὰς αἰσθήσεις, εἰδότες αὐτῶν τὰ ἐνεργήματα. μᾶλλον δὲ οὐκ ἐάσω αὐτὸς ὁ νοῦς τὰ προσπίπτοντα ἐνεργήματα τοῦ σώματος ἐκτελεσθῆναι, πυλωρὸς ὢν ἀποκλείσω τὰς εἰσόδους τῶν κακῶν καὶ αἰσχρῶν ἐνεργημάτων, τὰς ἐνθυμήσεις ἐκκόπτων Contraria verò mens eadem in

ingrato, impuro, impióq; homine operatur. Nam eum permittit dæmonis vltoris arbitrio, qui ignis acumen incutiens, ſenſus affligit, magíſque atque magis ad deſignanda nefaria facinora armat hominē, vt ſcilicet turpioris culpæ reus, acriori ſupplicio fiat obnoxius. Quæ certè omnia catholica ſunt. Nam mens illa, cuius

In Pimand. meminit Triſmegiſtus, ὁ πάντων πατὴρ, ὁ νοῦς ὢν ζωὴ καὶ φῶς, in piorum hominū animis inhabitat, vt Chriſtus Ieſus his ver-

Ioan. 14. bis teſtatur. Qui habet, inquit, mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui me diligit, Qui autem diligit me, diligetur à Patre, & ego diligam eum, & aperiam ei meipſum. Et addit, Si quis diligit me, ſermonem meū ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Et idcirco Paulus iubet ſedulóque nos hortatur, vt ab omnibus carnis deſideriis alieni ſimus: hoc autem vult & iubet Paulus, vt piè ſanctéque viuentes Spiritus ſancti templum efficiamur. Idem quoque impios menſæ dæmoniorū participes eſſe dicit, vnáque

cum

cum Triſmegiſto, propriis peccatis eoſdem peſſimè affici, grauitérque puniri dicit. Et quemadmodum, inquit, non probauerunt, vt Deum agnoſcerent, ita tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, vt facerent quæ non conueniebat, repletos omni iniuſtitia, ſcortatione, verſutia, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, &c. Prius autem idem ferè, íd que his verbis dixerat Paulus, propter quod, inquit, tradidit illos Deus in deſideria cordis eorũ in immunditiam, vt cõtumeliis afficiãt corpora ſua in ſemetipſis. Quod certè verum eſſe dolentes experimur in Epicureis & atheis hominibus huiuſce temporis, ad quos nõ ſolùm Pauli verba dirigi poſſunt, ſed illa etiam quæ ſuperiùs Latinè explicauimus Triſmegiſti verba, Quæ ſunt, τοῖς δὲ ἀνοήτοις, inquit, καὶ κακοῖς, καὶ πονηροῖς, καὶ φθονεροῖς, καὶ πλεονέκτους, καὶ φονεῦσι, καὶ ἀσεβέσι πόῤῥωθεν εἰμὶ, τῷ τιμωρῷ ἐκχωρήσας δαίμονι, ὅστις τὴν ὀ-

Rom. 1.

In Pimand.

ξύτητα τοῦ πυρὸς προσβάλλων, θρώσκει αὐτὸν αἰσθητικῶς, καὶ μᾶλλον ἐπὶ τὰς ἀνομίας αὐτὸν ὁπλίζει, ἵνα τύχῃ μείζονος τιμωρίας. καὶ οὐ παύεται ἐπ' ὀρέξεις ἀπλήτους τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων ἀκορέστως, σκοτομαχῶν καὶ τοῦτον ἀφανίζει καὶ ἐπὶ πλέον βασανίζει, καὶ ἐπ' αὐτὸν πῦρ ἐπιπλέον αὐξάνει. Quæ omnia facile intelligi poſſunt ex ſuperioribus. Rurſus ille vt animos noſtros vera pulchritudine illuſtremus, mẽteq́; , id eſt Deũ ipſum nobis præſtitẽ aſtitẽq́; habere poſſimus, certã viam nobis ad id ipſum pmõſtrat, quę eſt pietas & dei cognitio. εἰ δύνασαι, inquit, νοῆσαι τὸν θεὸν, νοήσεις τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν, τὸ ὑπέρλαμπρον, τὸ ὑπερλαμπόμενον ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἐκεῖνο γὰρ τὸ κάλλος ἀσύγκριτον, καὶ ἐκεῖνο τὸ ἀγαθὸν ἀμίμητον, & poſt pauca addit, ἐὰν περὶ τοῦ θεοῦ ζητῇς, καὶ περὶ τοῦ καλοῦ ζητεῖς. μία γάρ ἐστιν ἡ εἰς αὐτὸ ἀποφέρουσα ὁδὸς, ἡ μετὰ γνώσεως εὐσέβεια, hoc eſt, ſi Deum mente tua comprehendere & percipere poteris, pulchrũ quoque bonúmque perceperis. Pulchrũ autem & bonum non quoduis, ſed à Deo imprimis ſuperilluſtratum, réſq; omnes longe ſuperans ſuo ſplendore: Quò fit vt

Triſmeg. ad Aſclepium.

ſit, & meritò dicatur pulchritudo cũ nulla alia pulchritudine cõferenda, bonùmque longè maius, quàm quòd quiſquam vnquam illud imitari poſsit. Deum igitur ſi quęſieris, pulchritudinẽ ipſam quæſiueris. Quæ autem ad id ferat, vnica via eſt, pietas cognitioni cõiuncta, hæc Mercurius, qui rurſus in eodem dialogo quæ prius dixerat, in hæc verba repetit: οὐ γὰρ ἀγνοεῖ τὸν ἄνθρωπον ὁ θεός, ἀλλὰ καὶ πάνυ γνωρίζει, καὶ θέλει γνωρίζεσθαι· τοῦτο μόνον σωτήριον ἀνθρώπῳ ἐστὶν ἡ γνῶσις τοῦ θεοῦ, αὕτη εἰς τὸν ὄλυμπον ἐστὶν ἀνάβασις. Neque enim, inquit, ignorat Deus hominem, ſed curã eius habet, ab cóque ſe in primis cognoſci vult. Hæc vnica ſalus homini, cognitio Dei, hæc ad olympum aſcenſio. Ecquid quæſo, dici potuit à quouis vel Chriſtianiſſimo Philoſopho quod veritati fideíque, Chriſtianæ magis conſonum eſſet? Cognitionem Dei, viam eſſe dicit, qua itur ad Deum, at qui Deum non cognoſcit, in Deum non credit, ſed neque quiſpiam Deum intelligere poteſt, qui non in eum crediderit, vt dicit Propheta. Si non cre-

Eſaiæ. 7. dideritis, inquit, nec vos quidē ipſi intelligetis. At voluntas Dei eſt, inquit Chri-
Ioan. 3. ſtus, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Fœlicem ergo perbeatúmq; Paulum, qui ſic olim ad Chriſtum Ieſum animum ſuum adiecit, vt ſe ſolum illud ſcire, id eſt, Chriſtum ſe cognoſcere verè iactare potuerit. Non
1. Cor. 2. enim, inquit, quidquam iudico me ſcire inter uos, niſi Ieſum Chriſtū, & hūc crucifixum. Bene autem annectit, copulátque Triſmegiſtus cognitionem Dei, pietati. Cognoſci enim Deus non poteſt, quin valde diligatur & ametur. Amari autē & diligi tunc demum à nobis dicitur, quum mandata eius ſeruamus, nos quoque quando id præſtamus, ab eodem diligi dicimur. Qui habet, inquit, man-
Ioan. 14. data mea & ſeruat ea, ille eſt qui me diligit. Qui autem diligit me, diligetur à patre, & ego diligam eum, & aperiā ei meipſum. Hoc certè non ignorauit Triſmegiſtus, quem nec Pater, nec filius, nec ſpiritus ſanctus vnus idémque Deus latuerit. Idem quoq; hominem ad imaginem

mundi

mūdi genitū ſcripſit, quem ſecundùm patris voluntatem ſeſe habere eúmque non modò Deo ſecundo (vt ipſe loqui ſolet) συγγενέστατον εἶναι, ſed etiam primum intelligere voluit. Quod clarè nobis his verbis aperit in Pimandro. τὸ δὲ τρίτον, inquit, ζῶον ὁ ἄνθρωπος, κατ᾽ εἰκόνα τοῦ κόσμου γενόμενος, οὐ κατὰ βούλησιν τοῦ πατρὸς, ἔχων παρὰ τὰ ἄλλα ἐπίγεια ζῶα, οὐ μόνον πρὸς τὸν δεύτερον θεὸν συμπάθειαν, ἀλλὰ καὶ ἔννοιαν τοῦ πρώτου. Quare nihil mirū ſi Mercurius hominē qui vtrunq;, patrē nempe & filium in ſpiritu & veritate colit, verū hominē appellet dignúmque cenſeat, qui non iam cū terrenis brutis, ſed ne cum diis quidē cœleſtibus, id eſt Angelis conferatur. Sic *Merc. in*
enim ſcribit, ὁ γὰρ ἄνθρωπος, inquit, ζῶον ἐστὶ *claui ſua*
θεῖον, καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις συγκρίνεται τῶν ἐπι- *ad Tatium.*
γείων, ἀλλὰ τοῖς ἐν οὐρανῷ ἄνω λεγομένοις θεοῖς. μᾶλλον δ᾽ εἰ χρὴ τολμήσαντα εἰπεῖν τὸ ἀληθὲς, καὶ ὑπὲρ ἐκείνους ἐστὶν ὁ ὄντως ἄνθρωπος, ἢ πάντως γε ἰσοδυναμοῦσιν ἀλλήλοις. ὅστις μὲν γὰρ τῶν οὐρανίων θεῶν ἐπὶ γῆς κατελεύσεται, οὐρανοῦ τὸν ὅρον καταλείπει. ὁ δὲ ἄνθρωπος εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβαίνει, καὶ μετρεῖ αὐτὸν, καὶ οἶδε ποῖα μὲν ἐστὶν

αὐτῷ

αὐτῷ ὑψηλὰ, ποῖα δὲ ταπεινὰ, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἀκριβῶς μανθάνει. καὶ τὸ πάντων μεῖζον, οὐδὲ τὴν γῆν καταλιπὼν, ἄνω γίνεται, τοσοῦτον μέγεθός ἐστιν αὐτῷ τῆς ἐκτάσεως. διὰ τολμητέον ἐστὶν εἰπεῖν, τὸν μὲν ἄνθρωπον ἐπίγειον εἶναι θεὸν θνητὸν, τὸν δ᾽ οὐράνιον εἶναι θεὸν, ἀθάνατον ἄνθρωπον. διόπερ διὰ τούτων τὰ πάντα διοικεῖται τῶν δύο, κόσμου καὶ ἀνθρώπου. ὑπὸ δὲ τοῦ ἑνὸς τὰ πάντα, hoc eſt. Atqui homo diuinũ animal eſt, non iam cũ terrenis brutis, ſed cũ ſolis cœleſtibus diis conferendum; imò verò ſi audacter, liberéque verum fateri liceat, homo verus vel cœlicolis eſt præſtãtior, vel ſaltem pari ſorte potitur. Etenim quicunque cœlitûm deſcendit ad terram, cœli limitem deſerit, homo autem aſcendit in cœlum, illúdque metitur, nec eum fugit quæ ima humiliáque ſunt, quæúe ſublimia, ſed & reliqua omnia ſtudioſè diligẽtérque inquirit, quòdq; his omnibus maius eſt, terram quidem haud dimittens, in cœlum attollitur, talis enim tãtaq; eſt humanæ naturæ poteſtas. Quamobrem audacter poſſumus dicere hominẽ quidem terrenum, Deum eſſe mortalem, Deum

verò cœleſtem, immortalem hominem. Rurſus dicere poſſumus horum duorum virtute, hominis nempe ac mundi gubernari omnia, ſub vno tamen cui parēt ſubiiciuntúrque omnia. Hęc ille, cuius verbis accinit illud hominis elogium, quod in hunc modum effert Pſaltes regius.

Quid eſt homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum. *Pſal. 8.*

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & cōſtituiſti eum ſuper omnia opera manuum tuarum:

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi,

Volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.

Sed quāquam hæc omnia valde magna, ſummáque admiratione digniſsima, dici poſsint: nihil tamen ſunt, ſi conferantur cum ea pulchritudine, beatitudinéq;, quam in altero ſeculo, Dei bonitate, aſſequutura eſt hominis anima. Quod nec Triſmegiſtum quoque latuit. Sic enim *Merc. ad Tatium.*

de hac re ſcribit. ψυχὴ δὲ ἀνθρωπίνη, οὐ πᾶσα μὲν, ἡ δὲ εὐσεβὴς, δαιμονία τίς ἐστι καὶ θεία. καὶ ἡ τοιαύτη ψυχὴ μετὰ τὸ ἀπαλλαγῆναι τοῦ σώματος, τὸν τῆς εὐσεβείας ἀγῶνα ἠγωνισμένη, θεὸς γίνεται. ἀγὼν δὲ εὐσεβείας τὸ γνῶναι τὸν θεὸν καὶ μηδένα ἀνθρώπων ἀδικῆσαι, hoc eſt, humana profectò anima non omnis quidem, ſed pia, beatáque & diuina, ſimulátque corpore ſoluta eſt, ſi ſubierit virtutis omnis, pietatíſque mandata, certè aut mens, aut Deus efficitur. Certamen autem religioſæ pietatis hoc eſt, recognoſcere Deum, nulli hominum iniuriam inferre. Hæc ille. Ergo Deum tandem effectum nostri confirmat, non in Dei quidem ſubſtantiã tranſmutatum, ſed cum eo tandem coniunctum iri intelligens, coniunctum, inquam, iri eo quem ex D. Ioanne diximus coniunctionis, vnioníſque modo. Cæterum prætereundum non eſt, quòd vt præmium piis religioſiſque animis deſtinat Triſmegiſtus, ita & ſuppliciũ impiis. Impios enim ſua impietate perpetuò torqueri dicit, quæ cuiuſdã ignis ardẽtiorẽ flãmã ſuperat, & quæ longè crudelius,

quàm

quàm fera vlla, corpus lacerat, ſicque ipſam animam indeſinenter agitat, vt cogatur impius animus altiùs vociferari, vror, abſumor, quid agam neſcio, deuorant me & abſumunt vndique confluentia mala, nihil quidquã video miſer, aut audio. Πῶς οὖν κολάζεται, ὦ πάτερ, ἀνθρωπίνη ψυχή· καὶ τίς ἐστι μείζων κόλασις ἀνθρωπίνης ψυχῆς, ὦ τέκνον, τίς ἡ ἀσέβεια; ποῖον πῦρ τοσαύτην φλόγα ἔχει, ὅσην ἡ ἀσέβεια; ποῖον δὲ δάκετον θηρίον, ὥστε λυμᾶναι σῶμα, ὅσον αὐτὴν τὴν ψυχὴν ἡ ἀσέβεια, ἢ οὐχ ὁρᾷς ὅσα κακὰ πάσχει ψυχὴ ἡ ἀσεβὴς βοώσης αὐτοῦ, καὶ κεκραγυίας, καίομαι, φλέγομαι, τί εἴπω, τί ποιήσω οὐκ οἶδα. Multa alia ſcribit Mercurius, quibus animi noſtri generoſitas, dignitas, pulchritudo, magnáque eius præſtantia notior illuſtriórque reddi poſſet. Sed ad alios immigrandum eſt, vt quædam alia ab his quæ diximus non diſſimilia neque diſſentientia, plurimúmque ad id quod probandũ recipimus faciẽtia, referamus. Erubeſcat igitur Epicureus porcus, erubeſcat pudefiátque impurus atheus, cùm hoc aut legit, aut audit, indignúmque ſe fateatur, cui

Merc. in claui ſua ad Tatium.

tantæ dignitatis tantæque pulchritudinis animus cum nulla re, cœlitibus duntaxat exceptis, cōferendus, datus à Creatore Deo fuerit, quem ingratus in corpus demerſerit, inque voluptatum cœnum miſerè proſtrauerit.

Quòd non ſolùm humani animi pulchritudinem, ſed corporis etiam opificium pulcherrimum mirificè laudauerit extuleritque. Triſmegiſtus.

CAP. II.

TAntũ corporis humani artificium eſt, vt ex eo non ſolùm ineffabilis opificis Dei ſapiētia deprehendatur, ſed precioſiſſima quoque res illa iudicetur, quæ in hoc figulino corruptibilique, vaſe cōtinetur. Quæ res facit vt iam mirari deſinam Galenum, medicum alioqui ſuperſtitioſum, & in finiendo animæ ratione inſtabilem & varium, in hoc tanto humani corporis opificio Creatoris Dei ſapientiam, virtutem, bonitatem ſuſpexiſſe,

xiſſe, valdéque admiratum fuiſſe. Sed hoc mirabile corporis humani opificium imprimis ſuſpexit, valdéque admiratus eſt Triſmegiſtus, cuius verba hîc ſubiiciemus, vt explicatum ab eo vtriuſque hominis, externi nempe & interni pulchritudinem comprobemus.

Merc. ad Tatium.

Νοήσον, ὦ τέκνον, inquit, δημιουργούμενον ἐν τῇ γαστρὶ τὸν ἄνθρωπον, καὶ τοῦ δημιουργήματος ἀκριβῶς τὴν τέχνην ἐξέτασον, καὶ μάθε τίς ὁ δημιουργῶν τὴν καλὴν ταύτην καὶ θείαν τοῦ ἀνθρώπου εἰκόνα. τίς ὁ τοὺς ὀφθαλμοὺς περιγράψας, τίς ὁ τὰς ῥῖνας καὶ τὰ ὦτα τρυπήσας, τίς ὁ τὸ στόμα διανοίξας, τίς ὁ τὰ νεῦρα ἐκτείνας, καὶ δεσμεύσας, τίς ὁ ὀχετεύσας τὰς φλέβας, τίς ὁ τὰ ὀστέα στερροποιήσας, τίς ὁ δέρμα τῇ σαρκὶ περιβαλὼν, τίς ὁ τοὺς δακτύλους διελὼν, τίς ὁ τοῖς ποσὶ βάσιν πλατύνας, τίς ὁ διορύξας τοὺς πόρους, τίς ὁ τὸν σπλῆνα ἐκτείνας, τίς ὁ τὴν καρδίαν πυραμοειδῆ ποιήσας, τίς ὁ τὰ νεῦρα συνθεὶς, τίς ὁ τὸ ἧπαρ πλατύνας, τίς ὁ τὸν πνεύμονα συραγγώσας, τίς τὴν κοιλίαν εὐρύχωρον ποιήσας, τίς ὁ τὰ τιμιώτατα εἰς τὸ φανερὸν ἐκτυπώσας, καὶ τὰ αἰσχρὰ κρύψας. ἴδε πόσαι τέχναι μιᾶς ὕλης, καὶ πόσα ἔργα μιᾷ περιγραφῇ, καὶ πάντα περικαλλῆ, καὶ πάντα μεμετρημένα, πάντα δὲ ἐμ

διαφορᾷ. Τίς πάντα ταῦτα ἐποίησε; ποία μήτηρ, ποῖος πατήρ, εἰ μὴ ὁ ἀφανὴς θεὸς τῷ ἑαυτῷ θελήματι πάντα δημιουργήσας, καὶ ἀνδριάντα μὲν ἢ εἰκόνα χωρὶς ἀνδριαντοποιοῦ ἢ ζωγράφου οὐδεὶς φησὶ γεγονέναι. τοῦτο δὲ τὸ δημιούργημα χωρὶς δημιουργοῦ γέγονεν; ὢ τῆς πολλῆς τυφλότητος; ὢ τῆς πολλῆς ἀσεβείας; ὢ τῆς πολλῆς ἀγνωμοσύνης. Quę ſũt, Age fili, cogita hominis in matris vtero conformati opificium, totámque artem ſtudioſè diligentérque expende, hincque diſce, quíſnam tam pulchrę támque diuinę imaginis opifex fuerit, quis oculos formauerit ac velut depinxerit, quis nares auréſque terebrauerit & tornauerit, quis os aperuerit & diſtenderit, quis neruos tetenderit & ligauerit, quis venas irrigauerit, quis oſſa ſolidauerit, quis carnem, tenui pellicula circuntexerit, quis digitos articulóſque diſcreuerit ac diſtribuerit, quis pedum fundamenta, id eſt, plantas, dilatauerit, quis poros perforauerit, meatúſq; aperuerit, ſplenem coëgerit atque compreſſerit, quis ad pyramidis formam cor effinxerit, neruos compoſuerit, cauernoſóſque pulmones fecerit, quis ventrem

ventrem dilatauerit, honeſtiores corporis partes in propatulo poſuerit ac figurauerit, obſcœnas in obſcuro poſuerit, eáſque quas nolet intuentiũ patêre oculis abſcõderit. Vide quot artes vnius materiæ, quot opera vna circunſcriptione, ſingula tamẽ pulchra, ſingula quoq; pulchrè dimenſa ac ſeorſum, id eſt, propriis inuicem officiis differẽtia. Ecquis hæc omnia fecit, quæ mater, quis pater, niſi inuiſibilis Deus, qui propria volũtate, cuncta fabricatus eſt? Et cùm ſtatuã aut imaginem ſine artifice, ſine pictore fieri, nemo audeat aſſerere: hoc mirabile opificium, ſine conditore opificéque conſtitutum fuiſſe putabimus? ô cæcitatem incredibilem! ô impietatem magnam! ô incredibilem ingratitudinem! Hæc Triſmegiſtus: cuius verba extendens Cicero in libro ſecũdo de Natura Deorum, multa ad hanc rem accumulat, docétque in primis naturam hominis omnes anteire animantes, noſtrúmque animum à rebus viſibilibus, quas contuetur, accipere cognitionem Dei, ex qua oritur pietas, cui

cõiuncta eſt iuſtitia, reliquæque virtutes, ex quibus vita beata exiſtit par & ſimilis Deorum. Qua in re Cicero cum Triſmegiſto quibuſdámque aliis Philoſophis, animę immortalis rationem tenuiſſe, paulóque æquior hac in re, quàm Hippocrates & Galenus, fuiſſe videtur. Ille tamẽ in certis quibuſdam locis à Lactantio varius ſibíque diſsimilis fuiſſe conuincitur. De Hippocratis igitur & Galeni perplexa, dubia, inconſtantíque ſuper animi immortalitate ſentẽtia dicemus, quòd hodie eius cauſa Epicureorum hominum ſcholam ſectámque plurimùm adauctam videamus.

Quàm dubiè, perplexè, inconſtantérque Hippocrates *&* Galenus *de animi immortalitate, quæ dignitatis & pulchritudinis illius optima pars eſt, fuerint loquuti.*

CAP. III.

QVia in medicos Philoſophos incidimus, antequàm vltrà progrediamur, melius eſt vt obiter dicamus

camus, quàm variè inconſtātérque Hippocrates & Galenus naturalis Philoſophiæ peritiſsimi, medicæque artis principes viri, de animorum immortalitate, id eſt, de animorū prima dignitate pulchritudinéque loquuti ſint. His enim longè verius & melius, ea de re alij Philoſophi ſcripſerunt: nec mirum, quandoquidem ad eos potiſsimùm ſpectaret huiuſmodi conſideratio: ad Philoſophos autem naturales non item. Quod nimirum ſcitè admodum Hippocrates verum eſſe proteſtatur in eius libri, quem περὶ τῶν σαρκῶν inſcripſit, principio, ἐγὼ, inquit, τὰ μέχρι τοῦ λόγου τούτου κοινῇσι γνώμῃσι χρέομαι. ἑτέρων τε τῶν ἔμπροσθεν, ἀτὰρ καὶ ἐμεωυτοῦ. ἀναγκαίως γὰρ ἔχει κοινὴν ἀρχὴν ὑποθέσθαι τῇσι γνώμῃσι, βουλόμενον ξυνθεῖναι τὸν λόγον τόνδε περὶ τῆς τέχνης τῆς ἰητρικῆς. περὶ δὲ τῶν μετεώρων, οὐδὲν δέομαι λέγειν, ἢν μὴ τοσοῦτον ἐς ἄνθρωπον ἀποδείξω, καὶ τὰ ἄλλα ζῷα, ὁκόσα ἔφυ καὶ ἐγένετο. καὶ ὅτι ψυχή ἐστιν, καὶ ὅτι τὸ ὑγιαίνειν, καὶ ὅ τι τὸ κάμνειν, καὶ ὅτι τὸ ἐν ἀνθρώπῳ κακὸν καὶ ἀγαθὸν, καὶ ὅθεν ἀποθνήσκει, hoc eſt, Ad hunc vſque ſermonem, communibus vtor ſen-

tentiis,ſimul & aliorum qui me pręceſſerunt, & meis quoque. Neceſſe enim eſt eũm qui commodè velit hãc de arte medica tractationem cõponere, inſtitutúmque ſuum perficere, cõmune principium ſententiis primùm ſupponere. At ego vt id præſtem, nihil mihi opus eſt de ſublimioribus rebus, nempe de aëre & cœlo dicere, niſi quòd quantum ad hominem omnéſque animantes & ea quæ nata ſunt ſpectat, demonſtrabo, & quód anima ſunt, & quòd ſanitas, & quòd morbus, & quòd in homine malum ac bonum, & vnde moritur. Hæc ille. Nihil ergo mirum, ſi iidem Hippocrates & Galenus de animæ ratione parum fuerint ſoliciti, quum hæc ad θεολόγους, ſublimiúmque rerum & diuinarum ſtudioſos, inſpectoréſque Philoſophos magis ſpectare videantur. Vt igitur de eorum hac in re incertitudine obiter dicamus, quis non videt Galenum nunc perplexum, nunc ſubdubium, nunc verò prorſus ignorantem, & vt verum fatear, melioris animi noſtri naturę neſcium? Adduci non nunquam

quam videtur ad eorum ſententiam, qui incorporeum immortalémque dicunt animum. Idem alibi velut ſui oblitus ab ea ſententia longiùs remouetur, animum nunc naturam, nunc natiuum calorem, nunc quoque humani corporis eſſe volēs temperamentum. Quæ res fecit, vt idem quoque cum eo ferè vniuerſa medicorū cohors ſentiret, eáque re permoti plures ex eorum grege, qui in Chriſtianæ fidei oliua minùs ſolidè ſunt implātati, ad Epicureorum, Atheorúmque hominum ſectam tranſirent, cum magno Chriſtianæ reipublicæ detrimēto. Sunt qui Hippocratem meliús de vera animi ratione immortalitatéque ſenſiſſe putent, quòd animam de cœlo eſſe ipſe dixerit, quam calidum immortale vocat, quòd vt ſcribit ſibíque perſuadet, & intelligit, & videt, & audit, & ſcit omnia, tum præſentia tum futura. Sic enim ille, νῦν δὲ ἀποφαίνομαι αὐτὸς ἐμεωυτοῦ γνώμας, δοκέει δέ μοι ὃ καλέομεν θερμὸν, ἀθάνατόν τε εἶναι καὶ νοέειν πάντα, καὶ ὁρῆν, καὶ ἀκούειν, καὶ εἰδέναι πάντα καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. Sed hoc

Hippocra. lib. 1. περὶ τῶν σαρκῶν.

meo iudicio ad Deum potiùs, quàm ad animum referendum eſt. Certum eſt enim plures Philoſophos & poëtas Deũ quondam eſſe credidiſſe, cœleſtem illam altiſſimam, æthereámque naturam, id eſt, igneam, quam & Iouem à iuuando dixerunt, quòd res omnes viuificaret, vegetaret, nutriret & conſeruaret.

Hinc illud Ennij,

Aſpice hoc ſublime candens quem inuocant omnes Iouem:

Planiúſque alio loco idem,

Cui quod in me eſt, execrabor hoc quo lucet, quicquid eſt.

Hunc etiam augures noſtri, inquit Cicero libro de Natura Deorum ſecũdo, cùm dicunt Iouem fulgentem, tonantem, dicunt enim Ioue * fulgente, tonãte, dicunt in cœlo fulgente & tonante. Euripides autem vt multa præclarè, ſic hoc breuiter,

* *al. fulgurante.*

Vides ſublime fuſum immoderatum æthera,
Qui terram tenero circuniectu amplectitur?
Hunc ſummum habeto Diuum, hunc perhibeto Iouem.

Ergo igitur hic Deus eſt, illud immortale calidũ Hippocratis, quod ex illius quoque

queverbis colligi poteſt, δοκέει οὖν, inquit, τὸ πλεῖστον, ὅτε ἐταράχθη πάντα, ἀπεχώρησεν εἰς τὴν ἀνωτάτω περιφορήν. καὶ ὀνομῆναί μοι αὐτὸ δοκέουσι οἱ παλαιοὶ αἰθέρα, hoc eſt, huius plurima pars, quum turbata eſſent omnia, in ſupernam circunferentiam ſeceſſit. Videntur autem mihi veteres Aethera nominaſſe. De hoc igitur calido, id eſt, cœleſti, altiſſima, æthereáque vi, quæ & ignea dicitur, loquutus eſt Hippocrates non neſcius, & primigenium, ſiue vt loquuntur medici, fixum quod in nobis eſſe volunt calidum, illud quoque aduentitium fluénſue extingui tandem & perire, mini méque immortale eſſe. Quid ergo in homine ſupereſt, quod immortale eſſe voluerit Hippocrates? An ipſa anima quam ſub calidi nomine quidã eũ vocitaſſe arbitrãtur? Minimè gẽtiũ. Hãc enim augeri & minui dicit, quod certè manifeſtum alterationis corruptioníſque eſt indicium. Sic enim ille, ἡ ψυχὴ τοῦ ἀνθρώπου, ὥσπερ μοι καὶ προείρηται, σύγκρισιν ἔχουσα πυρὸς καὶ ὕδατος, μέρη δὲ ἀνθρώπου ἐσέρπει εἰς ἅπαν ζῶον, ὅτι περ ἀναπνέει. καὶ δὴ ἐς ἄνθρωπον πάντα καὶ

Lib. 1. περὶ τῶν σαρκῶν.

Hippocra-lib. 1. de Diæta.

νεωτέρων καὶ πρεσβυτέρων. αὔξεται δὲ οὐκ ἐν πᾶσιν ὁμοίως, ἀλλ᾽ ἐν μὲν τοῖσι νέοισι τῶν σωμάτων, ἅτε ταχείης ἐούσης καὶ περιφορῆς, καὶ τοῦ σώματος ὄντος αὐξήμενου, ἐκπτερούμενα καὶ λεπτυνόμενα καταναλίσκεται ἐς τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος. ἐν δὲ τοῖσι πρεσβυτέροισιν, ἅτε βραδείης ἐούσης τῆς κινήσιος, καὶ δὴ ψυχροῦ τοῦ σώματος καταναλίσκεται εἰς τὴν μείωσιν τοῦ ἀνθρώπου. Hominis, inquit, anima, quemadmodum priùs dictum eſt, ignis & aquæ temperamentum habens, partes autem hominis, irrepit in omne animal quod ſanè ſpirat. In omnem præterea hominem iuuenem æquè ac ſenem, non autem ſimiliter in omnibus augeſcit. Nam in iuuenibus corporibus celeri circunuolutione exiſtente, ipſóque auctili corpore, expaſſæ attenuatæque partes illæ animæ, in corporis quidem augmentum, incrementúmque cõſumũtur. In ſenioribus autem non item. Nã tardo exiſtente motu frigidóque corpore eædem partes in hominis imminutionem, decrementúmque cõſumuntur. Hãc Hippocratis ſententiã ſequi videtur
Lib.3. impius ille Lucretius, quando ita ſcribit,

Præ-

Præterea gigni pariter cum corpore, & vnà
Creſcere ſentimus, paritérque ſeneſcere mentem.
Nam velut infirmo pueri, teneróque vagantur
Corpore, ſic animi ſequitur ſententia tenuis. • • *tempus.*
Inde vbi robuſtis adoleuit viribus ætas,
Conſilium quoque maius, & auctior eſt animi vis.
Pòſt vbi iam validis quaſſatum viribus æui
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguáque ménſque,
Omnia deficiunt, atque vno tempore deſunt.
Ergo diſſolui quoque conuenit omnem animai
Naturam, ceu fumus in altas aëris auras:
Quandoquidem gigni pariter, paritérque videmus
Creſcere, & vt docui ſimul æuo feſſa fatiſcit.

Hæc Lucretius. Sed fortaſſe dices Hippocratem animam pro calore natiuo, aut ſpiritibus, aut ipſo quoque corporis temperamento ſumere, quandoquidem eam augeri & minui, igníſque & aquæ temperamentum habere, alteri quoque animæ miſceri affirmet. Sed hoc dicere, quid aliud eſt, quàm Hippocratẽ id ipſum quod poſtea ſequutus eſt Galenus, dixiſſe, & vtriuſque eandem mentem ſententiámque fuiſſe? Aequior tamen videtur Hippocrates, quòd ea mentis leuitate incon-

ſtantiáque caruerit, qua Galenus laboraſſe conuincitur. Si quidem Galenum ſcribere non puduit, ſe ſimulatque Aeſculapio, quem mortalem hominem fuiſſe nō ignorabat, gallum ſacrificaſſet, bubone quo affectus erat, perſanatum. Ex quo clarè perſpicere potes hominis & ſuperſtitionem & in ratione rationalis animæ inconſtantiam. Adde quòd plus ille ſuo Aeſculapio tribuiſſe videtur, quàm rerū omnium Creatori Deo. Nam poſtquam is libro tertio de Vſu partium corporis humani, Creatoris ſapientiam virtutémque magnis in cœlum laudibus extulit, ídque ob mirabile ſtupendúmque corporis humani artificium, quod nullo labore nullóque negotio fabricatus eſt, ad extremū tam arctis cancellis circuncluſit eiuſdem conditoris virtutem, vt eum dicere non puduerit, Deum ex cineribus equum aut bouē minimè facere poſſe, quē tamen ex nihilo mūdū feciſſe ſcimus, neq; hoc quidē Plato aliíq; præſtantiſsimi Philoſophi ignorauerunt. Verba illius ſubiiciemus, vt ne quid tāto viro imponere videamur.

οὐ γὰρ

γὰρ εἰ τὴν τέφραν ἐξαίφνης ἐθελήσειεν ἄνθρωπον ποιῆσαι, δυνατὸν αὐτῷ, καὶ τοῦτ' ἔστι, καθ' ὃ τῆς Μωσέως δόξης, ἥθ' ἡμετέρα καὶ Πλάτωνος, καὶ ἡ τῶν ἄλλων τῶν παρ' Ἕλλησιν ὀρθῶς μεταχειρισαμένων τοὺς περὶ φύσεως λόγους διαφέρει. Τῷ μὲν γὰρ ἀρκεῖ, τὸ βουληθῆναι τὸν θεὸν κοσμῆσαι τὴν ὕλην, ἡ δ' εὐθὺς κεκόσμηται. πάντα γὰρ εἶναι τῷ θεῷ δυνατὰ νομίζει, κἂν εἰ τὴν τέφραν ἵππον ἢ βοῦν ἐθέλει ποιεῖν. ἡμεῖς δ' οὐχ οὕτω γινώσκομεν, ἀλλ' εἶναι γάρ τινα λέγομεν ἀδύνατα φύσει, καὶ τούτοις μηδ' ἐπιχειρεῖν ὅλως τὸν θεόν, ἀλλ' ἐκ τῶν δυνατῶν γενέσθαι τὸ βέλτιστον αἱρεῖσθαι. Ex his vides Galenũ cũ Moſe minimè conuenire, quòd is Deum ex nihilo mũdũ omniáq; creaſſe affirmet, faceréq; quæcũq; ipſe voluerit. Quãtum autem Galenus erret, nemo non videt. Nam ſi Deus non ſolum ex nihilo, ſed ex quauis etiam materia quoduis facere poſsit: (Ille enim ſupra naturam eſt, quam tamen Galenus confirmat quędam facere non poſſe, imò nec ea quidẽ ipſam omnino aggredi, ſed ex his tantùm quæ facere poteſt, quod melius eſt eligere:) ergo præter rerum ordinem quæcunque vult perficit, quandoquidem facere ea omnia poſsit quæ factu minimè

Gal. de vſu part. corp. huma. lib. II.

poſsibilia nobis perſuademus. Quæ omnia à nobis dicta ſunt, non vt Hippocratis, Galeni, aliorúmque medicorum immortalem gloriam, famámque, quam ex ſuis ſcriptis ſibi compararunt, quidquam imminueremus, ſed vt huiuſce ſeculi Epicureos dehortaremur, vt ne ab huiuſmodi Philoſophis animorum rationem exquirerẽt, quam eos minimè tenuiſſe probauimus. Sed nec tam ab aliis quidẽ Philoſophis, quàm à Christo Ieſu, quem Pater ſua bonitate, doctorẽ verúmque Theologum & Philoſophum nobis propoſuit in terris, id ipſum intelligere conarentur.

Quid de pulchro & bono Plato, eiúſque interpretes ſcripſerint.

CAP. IIII.

NEmo Philoſophorũ omnium qui ſcripſerunt diligentiùs exquiſitiúſque de pulchro & bono, vno Platone loquutus eſt. Quare quæ de ea re dixerit, quàm fieri poterit breuiſsimè, referemus. Ille igitur ſupremum bonum

bonum nec facilè inueniri, nec poſtquam inuentum eſt, tutò cuilibet reuelari poſſe exiſtimauit. Omnia autem quæ pulchra, quævé bona dicuntur, eatenus bona, pulchráque nominari voluit, quatenus ipſius primi boni, primíq; pulchri ſunt participia. Quia ergo ex his quę nobis inſunt, mentem & rationem, duntaxat ipſius boni ſimilitudinem cōſequi poſſe credidit, bonū noſtrum, pulchrum quiddam, venerandum, diuinum, amandum, commenſuratum, beatitudinē quoque ipſe vocauit. Hoc autem bonum in ſcientia primi, quod & pulchrum eſt, cōſiſtere voluit. Quapropter hominem Dei ſciētiam conſequutum, fœliciſſimū beatiſſimúmque prædicat, quod à Mercurij ſchola philoſophiáque profectum, nemo non videt. Sic autem eiuſcemodi hominē fœlicem beatúmque putat, vt huiuſmodi fœlicitatem aut interturbare, aut tollere, vllóue modo imminuere nō poſſint, paupertas, exilia, mors quoque ipſa: nec eam itidem augere honores, diuitiæ, regna, robur, forma, eáque omnia quæ nec ſuos

quidem poſſeſſores beatos reddere poſſunt, abſque Dei ſciētia. Quare ocyus adnitendum docet hinc ad diuina confugere, Deíque per iuſtitiam ſimiles fieri. Neque enim à Deo, inquit, vnquam deſpicitur, quiſquis conatur vt iuſtus euadat, & ſe præclaris animi ſui officiis, quoad eius fieri poteſt, Dei ſimilem reddere nititur. Hanc autem Dei ſimilitudinē, quæ ſumma eſt animi pulchritudo, per temperantiam iuſtitiámque à nobis acquiri in Phœdone dicit. Nonne beati ſanctíque ſunt, inquit, & in optimum locum migrant, qui popularē ciuilémq; virtutem, quam temperantiam & iuſtitiam vocāt, exercuerunt? propterea conſonum finem principio tūc demū fore dicebat, vbi nos ſimiles effecti eſſemus Dei, Dei inquam cœleſtis, vel proculdubio ſupercœleſtis, qui virtutem quidem non habet, eſt tamē virtute præſtantior. Ex his ergo colligi poteſt ſummam animæ pulchritudinem eſſe, Dei per iuſtitiā ſimilem fieri. Quod doctiſſimè Platonis interpres Proclus nō ſemel explicuit. Ille enim vbi omne quod iuſtum

Proclus in lib. de Ani. & Dæmone.

ſtum eſt, ſuapte natura pulchrum bo-
úmque eſſe probauit, ita concludit. Eſt
gitur iuſtitia, cauſa pulchritudinis, quæ
: ipſa quoque eſt pulchra. Idem quo-
ue rurſus de bono, pulchro, & iuſto ver-
a faciẽs cenſet, inter principia ipſum bo-
um ſupereminere pulchritudinem, pul-
hritudinem verò iuſtitiam, ipſúmque a-
eò bonum ſuper intelligibilia extare, in
oco inacceſſibili ſitum. Addit quoque
pſum quidem bonum regnare in Diis,
d eſt, in Deo & Angelis, pulchritudinẽ
n mentibus, in qua & regnat iuſtitia.
Quare & iuſtũ quidem, inquit, pulchrum
ſt, non tamen omne pulchrum eſt & iu-
tum, ſed ipſa pulchrorũ cauſa iuſtitiam
ntecedit. Item omne pulchrum bonum,
ons tamen bonorum omnium præcedit
mne pulchrum. Rurſus iuſtum quidem
onum eſt, per mediam pulchritudinem
ono coniunctum, bonum verò ſuperius
ſt ambobus. Sed quia de pulchro præci-
ua hæc noſtra diſceptatio eſt, rurſus ex
Platone videamus quid pulchrum facere
dicatur.

Quid pulchrum faciat ex Platone.

CAP. V.

IVſtitiam pulchritudinis primam cauſam eſſe diximus, ſed generaliter Plato cuiuſuis pulchri pręſentia interuentúque pulchrum fieri his verbis in Phædone ſcriptum reliquit. Σκόπει, inquit, τὰ ἑξῆς ἐκείνοις, ἐάν σοι ξυνδοκῇ ὥσπερ ἐμοί. φαίνεται γάρ μοι εἴ τι ἐστὶν ἄλλο καλὸν πλὴν αὐτὸ τὸ καλόν, οὐδι᾽ ἓν ἄλλο καλὸν εἶναι, ἢ διότι μετέχει ἐκείνου τοῦ καλοῦ. καὶ πάντα δὴ οὕτω λέγω τῇ τοιᾷδε αἰτίᾳ· συγχωρεῖς; Συγχωρῶ, ἔφη. οὐ τοίνυν ἦδ᾽ ὅς ἔτι μανθάνω, οὐδὲ δύναμαι τὰς ἄλλας αἰτίας τὰς σοφὰς ταύτας γινώσκειν. ἀλλ᾽ ἐάν τις μοι λέγῃ, διότι καλόν ἐστιν ὁτιοῦν, ἢ ὅτι χρῶμα εὐανθὲς ἔχον, ἢ σχῆμα, ἢ ἄλλο ὁτιοῦν τῶν τοιούτων, τὰ μὲν ἄλλα χαίρειν ἐῶ. ταράττομαι γὰρ ἐν τοῖς ἄλλοις πᾶσι. τοῦτο δὲ ἁπλῶς καὶ ἀτέχνως καὶ ἴσως εὐήθως ἔχω παρ᾽ ἐμαυτῷ, ὅτι οὐκ ἄλλο τι ποιεῖ αὐτὸ καλόν, ἢ ἐκείνου τοῦ καλοῦ εἴτε παρουσία εἴτε κοινωνία, εἴτε ὅπῃ δεῖ καὶ ὅπως προσγενομένη. οὐ γὰρ ἔτι γίγνεται διϊσχυρίζομαι, ἀλλ᾽ ὅτι τῷ καλῷ πάντα τὰ καλὰ τοῦτο καλά. τοῦτο γάρ μοι δοκεῖ ἀσφαλέστατον εἶναι καὶ ἐμαυτῷ ἀποκρίνασθαι καὶ ἄλλῳ, καὶ τούτου ἐχόμενος, ἡγοῦμαι οὐκ ἄν ποτε

πεσεῖν

εσεῖν, ἀλλ᾽ ἀσφαλὲς εἶναι, καὶ ἐμοὶ καὶ ὁτῳοῦν
γῳ ἀποκρίνασθαι, ὅτι τῷ καλῷ τὰ καλὰ γί-
γνεται καλά. Expende, inquit, ſequentia,
déq; vtrùm in his mecum ſentias. Ar-
:ror enim ſi quid eſt aliud pulchrum
ęter ipſum pulchrũ, non ob aliud quid-
am eſſe pulchrum, quàm quia eſt pul-
ri ipſius particeps. Atque omnia dico
ailiter. Nunquid ob hanc cauſam reci-
? Recipio equidem, inquit. Ergo non
vltrà percipio, neque iam poſſum cæ-
as iſtas inſignes cauſas cognoſcere. Si
s autem mihi dixerit, quare pulchrum
quodlibet, nempe quòd vel floridum
eat colorem, vel aliud quoduis rerum
um, cætera equidem valere ſino: in
cris enim omnibus valeo perturbari:
erò vnum ſimpliciter, ſedulò planéq;
ortaſſis ineptè mihi perſuadeo, nihil
d eſſe quod aliquid faciat pulchrum,
m ipſius pulchri ſiue præſentiam ſiue
munionem, qualicunque ratione, &
cunque modo id proueniat. Neque
ı id adhuc affirmarem: ſed pulchro
hra omnia eſſe pulchra, id mihi vide-

tur tutiſſimum tam mihi quàm aliis reſpondere: quo fundamẽto nixus, tantum abeſt vt me lapſurum dubitem, vt etiam aliis me, alióſque mihi tutò veréque reſponſuros ſperem, quæcunque pulchra ſunt, ipſo pulchro fieri pulchra.

His Platonis verbis, generalẽ audis omnis pulchri cauſam, quam certè ex mente omnia exornãte, proficiſci dicebat Anaxagoras, vt ipſemet Plato teſtatur. ἀλλὰ τιν' ἄλλον, inquit, τρόπον αὐτὸς εἰκῆ φύρω. τοῦτον δὲ, οὐδαμῆ προσίεμαι, ἀλλ' ἀκούσας μέν ποτε ἐκ

Plat. in Phædon.

βιβλίου τινὸς, ὡς ἔφη, Ἀναξαγόρου ἀναγινώσκοντος, καὶ λέγοντος, ὡς ἄρα νοῦς ἐστι ὁ διακοσμῶν τε καὶ πάντων αἴτιος, ταύτῃ δὴ τῇ αἰτίᾳ ἥσθην τε καὶ ἔδοξέ μοι τρόπον τινὰ εὖ ἔχειν, τὸ τὸν νοῦν εἶναι πάντων αἴτιον. καὶ ἡγησάμην εἰ τοῦτο οὕτως ἔχει, τόν γε νοῦν κοσμοῦντα, πάντα κοσμεῖν, καὶ ἕκαστον τιθέναι ταύτῃ, ὅπως ἂν βέλτιστα ἔχει. Sed aliũ, inquit, modum fruſtra miſceo, hunc verò nullo modo admitto. Verùm cùm audiſſem aliquãdo ex libro, vt ille aiebat, Anaxagoræ, legentem quendam hanc Anaxagoræ ipſius ſententiam, mentem videlicet exornare omnia, omniúmque cau-

ſam

auſam eſſe, hoc vtique cauſæ genere
nagnopere ſum delectatus, exiſtimans
uodammodo conſentaneum probabi-
éque, mentem eſſe omnium cauſam, pu-
ibámque, ſi id ita eſſet, vt mens omnia
corriaret, ſingula per hãc ita eſſe diſpo-
a, vt quàm optimè diſponi potuerant.
æc Anaxagoræ ſententia ſi rectè intel-
gatur, non eſt à Chriſtiana veritate re-
ota. Mens enim Dei filius æternúm-
e patris verbum, mundum hunc vni-
rſum condidit & exornauit. Sed & nos
oq̃ue qui ob delictum mortui eramus,
enuit, nouóſque fecit ſuo ſpiritu. Vn-
ergo animi noſtri pulchritudo, niſi à
nte huiuſmodi, quæ eſt iuſtitia noſtra,
quã viuificamur, illuſtramur, & Spi-
s ſacti chariſmatibus exornamur, per
m quoque corruptibile corpus noſtrũ
cum animo immortalitatis diuinæq;
itatis gloria nobilitabitur? Nobilita-
r autem ſi piè ſanctéq; viuentes men-
hanc, id eſt, Chriſtũ Ieſum indueri-
, quo qui caret, omnino ſordidus eſt,
nebroſus, indignúſque qui hominis

nomine vocetur: multò autem indignior qui futuræ immortalitatis corona decoretur.

Quòd Plato animos iuſtitiæ virtutúmque pulchritudine inſignitos, poſt vitam maximis præmiis afficiendos crediderit.

CAP. VI.

ILlud quoque ad Epicureorum, hominúmque atheorum confuſionem prætereundum nõ eſt, quod Plato, tametſi ethnicus Philoſophus, de piorum hominum præmiis ſcripſerit. Ille enim legitimorum Philoſophorũ animos poſt corporis interitum diuinis epulis veſci, veritatíſque campum vnà cum diis circũluſtrare dicit, idq́, ex eo potiſsimũ promereri, quòd in omni vita diuinæ ſcientiæ deſiderio flagrauerint, atq; eam præ cæteris omnibus veluti prçcioſiſſimũ quoddam coluerint. Hoc enim ſedulò facientes, nihil corporei ſecum admiſcuerunt. Quare ad aliquid ſibi ſimile, diuinũ, immortale, & ſapiẽs abierunt, quò vbi perueneᐨ

uenerunt, ſubitò fœlices euaſerunt, ab er-
rore, dementia, timoribus, duris amori-
bus, cæteriſque humanis malis liberati, in
óque loco conſtituti, vbi cum diis æuo
empiterno ſunt perfruituri. οὐκοῦν οὕτω *In Phæd.*
ὲν ἔχουσα, εἰς τὸ ὅμοιον αὐτῇ τὸ θεῖον ἀπέρχε-
ται; τὸ θεῖόν τε καὶ ἀθάνατον καὶ φρόνιμον; οἷ ἀ-
ικομένῃ, ὑπάρχει αὐτῇ εὐδαίμονι εἶναι, πλά-
ς καὶ ἀγνοίας καὶ φόβων καὶ ἀγείων ἐρώτων
αὶ τῶν ἄλλων κακῶν τῶν ἀνθρωπείων ἀπηλλαγ-
ένῃ; ὥσπερ δὲ λέγεται κατὰ τῶν μεμυημένων,
ς ἀληθῶς τὸν λοιπὸν χρόνον μετὰ θεῶν διάγου-
α. οὕτω φῶμεν ὦ Κέβης, ἢ ἄλλως; οὕτω νὴ Δί',
φη, ὦ Κέβης. Loquitur autē de anima, quæ
ura diſceſſerit, nihilque corporeū ſecum
axerit, ſed ſua cum ſuo corpore, velut
uita cōmunicauerit, illùdq; fugiens, ſe-
in ſe collegerit, tāquam id ſemper me-
tata: quod quidem nihil aliud eſt, quàm
ctè philoſophari, mortémque reuera fa
è commentari. Id genus animarū alibi
cit ad beatas inſulas proficiſci, vbi nul-
obſtrepentibus malis, beatè victuræ
nt. Socrates verò apud eundem ſperat
profecturum παρὰ τοὺς θεοὺς σοφούς τε &

ἀγαθοὺς, ἔπειτε καὶ παρὰ ἀνθρώπους τετελευτηκότας ἀμείνους τῶν ἐνθάδε, id eſt, ad Deos alios ſapientes ac bonos, atque homines qui exceſſerũt è vita, longè his qui in terra morantur meliores. Quod neq; ipſum quidem Pythagoram latuit. Taceo ſupernam illam beatorum animorum terram, quam ferè eodem quo D. Ioannes, modo depingit diuinus Plato. De hac autẽ beatitudine animorum, hortiſque & cãpis, in quibus habent & delectantur beatæ animæ, Orpheus, Muſæus, Homerus, Heſiodus, Pindarus, & Vergilius ſcripſerũt. Qua in re viſi ſunt longè atheis huius tẽporis æquiores, qui neque Deum, neque paradiſum, neque inferos eſſe ſibi perſuaſerunt. Sed nec hoc quidem Pythagoras ignorauit, qui temperãtem cõtinentémque hominis animum corpore ſolutum, Deum immortalem futurum, adætheráque tandem reuolaturum dicit: ſic enim ſcribit,

ἡνίοχον γνώμην στήσας καθύπερθεν ἀρίστην.
ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς
ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

Quid

Quid multis agam? Vix quēquam Phi-
loſophorũ aut Poëtarũ reperias, qui non
Platoni & Pythagoræ accinat, hácque in
re multa Chriſtianæ etiam fidei conſen-
tanea dicat. Soli Epicurei & athei homi-
nes, omnẽ ſuam ſpem fœlicitatémque in
ventrem ſuum transferunt, illícque cam-
pos Elyſios, hortos lætos, ac amœna bea-
torum tempe, viretáque cõſtituunt: Huic
enim ſoli ſe ipſi, non ſecus ac bruta ani-
mantia, penitus addixerant.

Quid de pulchro Plotinus Platonis interpres ſcripſerit, & qua via nos Deo ſimiles fieri poſſe putauerit.

CAP. VI.

Excutiendus mihi viſus eſt poſt Platonem Plotinus, quòd is Platonis diligẽtiſsimus interpres fuerit, multaque de virtutibus, animíque pulchritudine dixerit. Ille igitur virtutem pulchritudinem animi eſſe cẽſet, per quam, quaſi per imaginem, nos quoque Deo ſimiles reddimur. Cùm mala hîc ſint, inquit, &

In lib. de virtut. cap. 1.

circa hunc locum neceſſariò reuoluātur, velit autem anima fugere mala, hinc eſt profectò fugiendum. Quęnam igitur fuga? Deo, inquit Plato, ſimilem fieri. Hoc autem fiet, ſi iuſti & ſancti cum prudētia efficiamur, & omnino cum virtute viuamus. Si itaque virtute aſſimilamur, num ergo virtutem habenti? Atqui Deo. Cuinam Deo? Sed nunquid illi Deo, qui magis videatur hæc habere: nempe animæ mundi intimo ipſius duci, cui mirabilis ineſt prudētia? Sanè probabile eſt nos hîc viuentes, huic ſimiles fieri. Hæc Plotinus interprete Marſilio Ficino. Græcus enim Plotinus quum hæc ſcriberētur, non erat ad manum. Aduerte autem quòd animam mundi Spiritum ſanctum vocat. Intimum autem eius ducem, mentem, quā alibi ſecundùm patrem, cum quo maximè coniunctam eſſe dicit, maximā mentem, pulchritudiníſque ideam appellat. Adde quod eidem menti quam à Patre generari credit, creationem operationémque tribuit, Patri verò iuſſa ac imperia. Et idcirco iubentem Genitorem vocat. Sed ad

d rem redeamus. De pulchro non aliter
tque Plato, Plotinus ſentit. Vult enim
ulchro pulchra fieri omnia. Pulchri au-
em quod in homine eſt, id eſt virtutis, fi-
em eſſe confirmat Deo frui, ad quem fi-
em maximè ducit puritas animi, per
uam animus ad proprium intellectum
õuertitur, & ab hoc, ad diuinũ, vt ibi vir
itibus exemplaribus reformetur. Quòd
eum contingat diuinum intellectum
a conſequi, vt totus actu fiat intellectus,
eatam tunc demum vitam ſummámque
ulchritudinem aſſequutum cenſet. In
ac igitur fœlici beatáque vita conſtitu-
us, maximè omniũ viuere dicitur, quia
ota eius vita in eo cõſtanter manet quod
ptimum eſt, externis rebus poſthabitis,
mníque extraria, aduentitiáque volu-
tate deſpecta. Beatus enim nulla volu-
tate extra mentem indiget, quandoqui-
lem ſummus intelligentiæ actus ſumma
lli ſit voluptas. Et idcirco ſuperiorem ra
ionis ſuæ oculum æternæ intelligentiæ,
nde beatus eſt, indeſinenter affigit, adeò
t inde auelli non poſsit, etiam ſi inferior

rationis oculus proſpiciat alia. Itaque ſe totum ad mentem confert, totus ex mente, id eſt, ex Deo pendet, cætera vel contemnit omnino, vel ſine perturbatione gubernat. Prius autem quàm in mentem euadat animus, omnem à ſeſe deformitatem abiiciat, omnémque vitij notam eluat, neceſſe eſt. Naturalis enim in animo pulchritudo tum demum affulget, quum ſua ſibiipſi reſtituta eſt puritas. Quod ſimulátque factũ eſt, ad intellectualis pulchritudinis lucem conuerſus, ipſe nimirũ iam ipſimet pulchritudini, Deóque perſimilis efficitur. Sed & ea voluptate ibi perfunditur, quam exprimere nequeas, eo intellectuali lumine fulget, quod à nullo comprehendi poteſt, eo fruitur bono, cóque impletur gaudio, quod prorſus inexplicabile eſt. Hæc Plotini philoſophia, & de animi dignitate pulchritudinéque ratio, quam ſi nos cum Epicureorum contulerimus ratione, tenebras cum luce, deformitatem cum pulchritudine, opacam terram cum ſole totóque cœlo, infernum ipſum cum Paradiſo vinctiúmque & bea

torum

orum terra cõtuliſſe videberis. Reſtat vt
x eodem Plotino qualis ſtudioſi boniq;
nimi pulchritudo ſpeciéſque ſit, & quo-
nodo eã inſpicere poſsimus, ediſcamus:
uod vt commodius fiat, melius eſt vt *Plotin. in*
Plotini ipſius verba ſubiiciamus. Age, in- *lib. de pul-*
uit, te reuoca in teipſum, atque contem- *chritud.*
lare: quòd ſi nondum te cognoſces pul- *cap. 9.*
hrum, ſtatuarium imitabere. Hic enim
bi ſtatuam optat pulchram, partim qui
em abſcindit, partim quoque dirigit, &
xpoliturus abradit, partim leuigat &
bſtergit, donec faciem in ſtatua expri-
nat ſpecioſam. Ita & tu tolle ſuperuacua,
bliqua dirige, obſcura purgando collu-
ra, neque deſinas circa ſtatuam tuam e-
borare, quouſque diuïnus virtutis ful-
or tibi ſubrutilet, quoad temperantiam
ernas firmiter in maieſtate pura ſanctá-
ue ſedentem. Si hoc ipſum euaſeris, at-
ue ipſum ſimúlque teipſum inſpexeris,
c purus iam habitaueris ipſe tecum, ni-
il videlicet habens impedimenti, quo-
ninùs ſic vnus efficiaris, neque rurſus ha
ens aliud quidquam tecum intus admi-

ſtum, ſed totus ipſe verum ſolúmque lumen, lumen inquam non magnitudine menſuratum, non coarctante figura aliqua circunſcriptum, non magnitudine tumidum, licet immenſum: ſed immenſurabile paſsim, tanquam omni menſura maius, omni quantitate præſtantius. Si teipſum inquam, id factum videris, viſus ipſe iam factus atque teipſo fretus, eóque progreſſus, vt duce amplius indicéque non egeas, fige iam prorſus intuitum. Solus nanque hic oculus ingentem inſpicit pulchritudinem. At verò ſi fortè oculus vel ſordidus, infectus, necdum purgatus, vel ignauia debilis in ſpectaculum lucidiſsimum intendatur, caligabit protinus, nihílq; diſcernet, vel ſi præſens quiſpiam ſpectaculum, quod alioqui cerni valeat, demonſtrauerit. Oportet enim viſurum, videndo cognatum ſe ſimilémque prius reddere quàm ad ſpectaculũ adhibeatur. Neque verò oculus vnquam videret ſolẽ, niſi factus ſolaris eſſet. Neque rurſus animus niſi factus ſit pulcher, ipſam pulchritudinem intuebitur. Efficiatur ergo diui-

nus

s ſiue Deiformis quilibet atque pul-
er: ſi modo Deũ ſit & pulchritudinem
pecturus. Sic enim primùm aſcendet
mentem, ibíque pulchras omnes ſpe-
s cõtemplabitur. Huc vſque Plotinus.
ius verba totáque adeò philoſophia
ximè Chriſtianæ conſonat religioni.
ntum in ea Chriſtus deeſt, ſine quo va-
inaníſque eſt omnis philoſophia. Hũc
go ſi ad hanc Plotini philoſophiam ad-
nxeris, eam certè planè Chriſtianam
eceris.

Quid de pulchro honeſtóque ſcripſerit Ariſtoteles.

CAP. VII.

HActenus Platonis, Platonicorúmq; omnium placita retulimus, nunc Ariſtotelis Peripateticæ ſectæ prin-
pis ſenſa placitáque à nobis, quàm bre-
iſsimè fieri poterit, excutienda ſunt, di-
endúmque quid ipſe de pulchro hone-
óque cẽſuerit. Ille igitur, vt hîc exordia-
ur, nihil prius in re omni virtute, quæ

eſt naturalis animi pulchritudo,eſſe exi-
ſtimauit. Itaque virtutes inter pulchra,
inter turpia verò vitia primatum habere
putauit. Propterea non laudandā modò
virtutē,ſed virtutis quoq; cauſam, comi-
téſque & fructus, & omne præterea opus
eius,reprehendēdáque his contraria du-
xit. ἐπαινετά μοί ἐστι τὰ καλὰ inquit, ψεκτὰ
δὲ τὰ κακά. καὶ τῶν μὲν καλῶν ἡγοῦνται αἱ ἀ-
ρεταὶ, τῶν δὲ αἰσχρῶν αἱ κακίαι, ἐπαινετὰ δέ ἐστι
ἔτι τὰ αἴτια τῶν ἀρετῶν, καὶ τὰ παρεπόμενον
ταῖς ἀρεταῖς, ἔτι τὰ γινόμενα ὑπ' αὐτῶν ἢ τὰ
ἔργα αὐτῶν. ψεκτὰ δὲ τὰ ἐναντία. inquit ille.
Sicut igitur hanc pulchri honeſtíque ra-
tionem, in omnia præclara facinora bo-
náſque actiones extendit, ita vitium ad
turpia omnia. Quapropter fortes dicit
qui quæ acerba homini & ſunt & viden-
tur, forti magnóque animo perferunt,
quòd id ferre, vt ait, pulchrum hone-
ſtúmue ſit: non ferre verò turpe. Itaque
honeſtatis cauſa cuncta gerere patíque
vult homines. Temperantem præterea
dicit qui rebus omnibus modum pulchri
honeſtíque comitem adhibet, id eſt, qui
non

on delectatur iis in quibus intemperans
aximè,ſed angitur potiùs, nec omnino
uibus ex rebus voluptas percipienda nō
t,nec vehementer vlla eiuſmodi : nec ſi
ſint,dolore conficitur, nec concupiſcit
iſi moderatè.Quòd ſi concupiſcat, nul-
m magis quàm decet concupiſcit, nec
uando dedecet, nec vllam omnino ar-
entius deſiderat eius generis voluptatē.
nprimis autē eum laudat, qui æquus eſt
paret legi:contrà vituperat turpémque
ſe dicit, qui leges violat, vel qui ad rem
npendio auidior eſt , nimióque ſtudio
mplificandarum rerum ſuarum tenetur.
Iultò autem magis turpem eſſe cenſet
ui iniquus merito ſuo dicitur. Idē quoq;
nter cætera animi ornamenta, iuſtitiam
oſt Platonem mirum in modum com-
endat, quod nimirum videret ea virtu-
aptum & propenſum eſſe hominem,ad
animi iudicio præſtāda quæ iuſta ſunt,
fficiáque tribuenda & ſibi,ſi cum altero:
alteri cum altero ſi conferatur : non ita
men,vt ſibi plus emolumenti,proximo
inùs,damni autem contrà : ſed vt ſuum

cuique proportione tribuat. In omnibus autem officiis primum locum dat ſapientiæ, quam chariſsimam Deo dicit, cuiúſque actionem omnium aliarum & iucundiſſimam, & ſuauiſsimam ſcribit.

Ethico. 10. ἡδίστη δὲ τῶν κατ' ἀρετὴν ἐνεργειῶν, ἡ κατὰ τὴν σοφίαν ὁμολογουμένως ἐστί. δοκεῖ γοῦν ἡ σοφία. Nec id quidẽ immeritò. Nã ſine ea Deus mente noſtra, vt re optima, ſibíq; coniunctiſſima delectari nõ poteſt, qua inprimis delectari Deos dicit, eóſq; charos ſibi habere qui eandem mentem, quę eſt eorum omnium quæ in homine ſunt optimum, amant & colunt, eandémque præclaris virtutibus & actionibus inſigniunt. Quod his verbis idem Ariſtoteles aſſerit.

Ethico. 10. εἰ γάρ τις ἐπιμέλεια τῶν ἀνθρωπίνων ὑπὸ θεῶν γίνεται, ὥσπερ δοκεῖ, καὶ εἴη ἂν εὔλογον, χαίρειν τε αὐτοὺς τῷ ἀρίστῳ καὶ τῷ συγγενεστάτῳ. τοῦτο δ' ἂν εἴη ὁ νοῦς. καὶ τοὺς ἀγαπῶντας μάλιστα τοῦτο καὶ τιμῶντας, ἀντευποιεῖν, ὡς τῶν φίλων αὐτοῖς ἐπιμελουμένους, καὶ ὀρθῶς τε καὶ καλῶς πράττοντας. Et addit, ὅτι δὲ ταῦτα πάντα τῷ σοφῷ μάλιστα ὑπάρχει, οὐκ ἄδηλον. θεοφιλέστατος ἄρα. τὸν αὐτὸν δ' εἰκὸς καὶ εὐδαιμονέστατον. ὥστε κἂν οὕτως εἴη ὁ σοφὸς μάλιστ' εὐδαίμων. Nec verò

dubium

ıbium,quin hæc ipſa inſint omnia ſapi-
ti. Ergo is Deo chariſsimus eſt, idém-
ıe dici debet beatiſsimus. Itaque ſapiens
aximè eſt beatus futurus. Sed quia in
atitudinem incidimus, quam Ariſtote- *Ethico. 10.*
actionem virtuti cógruentem, in par-
ıue optima, id eſt, in mente ſitam eſſe
luit, aut in parte aliqua, quæ naturæ le-
imperare debet ac regere, quis, quæſo,
iuſmodi præclaram actionem ſine ſa-
ntia præſtare poterit? Aut quis abſque
lem, deſpectis neglectíſque humanis
nortalibus rebus, niti ad immortalem
riam, omniáque ſic perficere poterit,
vitam ex eo viuat, quod velut quiddã
inũ in ſe incluſum habeat, & quo nihil
obis eſt præſtantius? Sed quanquam
bos ſapientéſque eſſe nos velit Ariſto-
s, vt pulchri beatíque ſimus, hoc tamẽ
pliciter in noſtra poteſtate ſitum eſſe
putat: ſed à diuina quadã vi iis ſuppe-
ri, qui verè ſint beati. γίνεσθαι δ' ἀγαθοὺς
αι, οἱ μὲν φύσει, οἱ δὲ ἔθει, οἱ δὲ διδαχῇ. τὸ μὲν *Ethic. 10.*
τῆς φύσεως, δῆλον ὡς οὐκ ἐφ' ἡμῖν ὑπάρ-
ει, ἀλλὰ διά τινος θείας αἰτίας τοῖς ἀληθῶς εὐ-

τυχέσιν ὑπάρχει. Probos autẽ fieri, inquit, alij naturâ putant, alij conſuetudine, plerique doctrina. Ac illud quidem clarum eſt, quod à natura ducatur officium, non eſſe illud quidem in noſtra ſitum poteſtate, ſed à diuina quadam vi iis ſuppeditari qui verè ſint beati. Et hoc quidem præter alia propè infinita à præceptore ſuo Platone accepit Ariſtoteles. Plato enim in libello de virtute an ſit docibilis, coniicit virtutis poſſeſſionem maximè diuinam eſſe, ac bonos nõ aliter fieri, quàm diuini vates & fatidici fiunt. Nam iſti neque naturâ tales, nec arte fiunt, ſed inſpiratione Deorum afflati, tales exiſtũt. Addit quoque bonos viros ſemper ciuitatibus prædicere, qui rerum exitus euenturi, & quæ futura ſunt, nimirum ex afflatu diuino, multò magis & euidẽtiùs, quàm fatidici ſolẽt. Sed & mulieres, ita loqui dicit. Iſte vir diuinus eſt. Quod & faciunt Lacedæmonij: Nam ſi quem magnificè laudari volunt, virum eſſe diuinum aiunt. Quin & Homerus multis in locis, & alij poëtæ idem vocabulum vſurpant. Addit præterea

rea Plato, quòd ſi Deus beneficia in a-
quam ciuitatem conferre voluerit, viris
nis eam præmunit, quos tandē adimit,
quid mali reipublicæ immineat. Poſt
c omnia tandē in hæc verba cōcludit,
ἀμ οὔτε διδακτὸν εἶναι, οὔτε φύσει ἀρετὴ, ἀλ-
θεία μοίρα παραγίνεται κτωμένοις, appa-
virtutem non diſciplina, neque natu-
ſed diuina ſorte ſuis poſſeſſoribus ac-
ere. Vides ergo hac in re præceptoris
ſententiam ſecutum Ariſtotelem, qui
ſus quoque Platonem imitatur, dum
m, quod Plato, piis iuſtíſque homi-
us præmium pollicetur. Siquidem
o dicit veriſimile eſſe eiuſmodi ho-
iem, qui ſeſe iuſte viuendo ſimilem
reddiderit, non negligi à ſuo ſimili,
ῷ δὴ, inquit, ὑπό γε θεῶν ποτε ἀμελεῖται, *In Dialogo*
ἂν προθυμεῖσθαι ἐθέλῃ δίκαιος γίγνεσθαι καὶ *10. de repu.*
ηδεύων ἀρετὴν, εἰς ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ, *vel iuſto.*
οῦσθαι θεῷ εἰκός γ' ἔφη τὸν τοιοῦτον μὴ ἀμε-
ὑπὸ τοῦ ὁμοίου. Neque enim, inquit, à
vnquā negligitur, q̃ pro viribus iu-
eſſe, virtutéq́, exercendo, quoad eius
poteſt, aſſimilari Deo conatur: veríq;

ſimile eſt eiuſmodi non negligi. At Ariſtoteles idipſum, quod prius Plato, ſcripſit, vt facile ex his quę ſuperiùs tacta ſunt, probari poterit. Qui verò ſecūdùm mētē, inquit, operatur, eámq; excolit, optimè affectus, hunc diis gratiſsimū eſſe par eſt. Nā ſi qua cura rerū humanarū à diis eſt, vt certè eſſe videtur, vtique probabile ſit, eos delectari re optima, ſibíque maximè propinqua. Eſt autē id mens. Qui verò hāc ipſam mentem diligant & ornent, remunerari, ceu qui curent quę diis grata ſunt, rectéque ac præclarè facta ſequuntur.

Ethico. 10.

Vides ergo quàm bene conſentiat cum Platone Ariſtoteles, nec hîc tantùm, ſed in tota etiam pulchri honeſtíque ratione. Vterque enim illud pulchrum honeſtúmque, quo animus noſter colitur & exornatur, in ſapientia, iuſtitia, temperātia, aliíſque præclaris virtutibus ſitum eſſe vult, atque in ea potiſsimum actione, quæ nos Deo ſimiles reddit. Quę omnia ſi bene expēdat Epicureus, ſi vel leuiter attingat Atheus, ſe vterque lōgiùs à veritatis tramite aberrare intelligent. Sed & niſi penitus

obbru-

obrutuerint, pudore ſuffundētur, dum m naturæ congruentia, támque legi & rofeſsioni noſtræ cōſentientia, ab ethnis Philoſophis dicta ſcriptáque viderint.

Multa Plutarchum de pulchri honeſtíque ratione, pulchrè doctéque conſcripſiſſe.

CAP. VIII.

PLutarchus humanarum diuinarúmque rerū peritiſsimus, omnem à Deo pulchritudinem in nos deriuari, nóſque ipſius prçſentia & communione pulchros, eiuſdémque abſentia turpes fieri dicit. Propterea naturā nihil aliud, quàm artem aut inſtrumētum ſummi Dei omnia ſemper exornantis, & pulcherrimos hos, quos ſurſum deorſúmq; cernis concentus rerum efficiētis, eſſe credit. Maximā autem pulchritudinem cenſuit virtutē eſſe, nec eā tātùm qua hominis mēs exornaretur, Deóq; perſimilis efficeretur, ſed qua ipſe quoque Deus beatus eſſe creditur. οὐ γὰρ χρόνῳ ζωῆς ὁ θεὸς εὐδαίμων, ἀλλὰ τῆς ἀρετῆς τῷ ἄρχοντι· τοῦτο γὰρ θεῖόν ἐστι, καλὸν δὲ *Plutarchus de liberalitate animi.*

ἀυτοῦ, καὶ τὸ ἀρχόμενον. Non enim, inquit, diuturnitate vitæ deus eſt beatus, ſed excellentia virtutis. Hoc enim eſt diuinitas, hoc pulchritudo eius & principatus. Propterea dicit Deũ his in primis delectari, qui virtutem & probitatem eius æmulantur, ſéque ipſos ad honeſtatem humanitatémque eius cõponunt. Quibus adiungit quotquot ipſe participes æquitatis & iuſtitiæ, veritatis, manſuetudiníſque qua ipſe prẹditus eſt, facit, quibus diuinior neque ignis eſt, neque lux, non ſolis rotatio & conuerſio, non ortus, non ipſa quoque æternitas atque immortalitas. Vt autem meliùs intelligamus quomodo Deus ſuæ pulchritudinis radios in res mundi vniuerſas lõgè latéq; diffundat, eóſque quaquauerſum eiaculetur, eum deſuper defixũ ſtabilémque ea natura dicit, quæ ſemper eodem modo permanet, immutabilitérque ſanctum, ſiue coloribus ſanctis(vt ait Plato)recta peragere, atque per omnẽ naturam inambulare affirmat, vtque magis atque magis ſummam Dei in nos bonitatem demonſtret, Deum aſſerit in medio

dio omnium bonorum honeſtorúmque ſeſe exemplum proponere, híſque vt ſui ipſius ſimiles fiant concedere, qui ſequi poſſunt humanã virtutem, κατὰ πλάτωνα, inquit, πάντων καλῶν ὁ θεὸς ἑαυτὸν ἐν μέσῳ παράδειγμα θέμενος τὴν ἀνθρωπίνην ἀρετήν, ἐξομοίωσιν ἁμωσγέπως πρὸς αὐτὸν ἐνδίδωσι, τοῖς ἕπεσθαι δυναμένοις. Sed quid maius homini dari potuit, quàm per virtutem atque in primis ſapiẽtiam, quam Plutarchus in optima beatitudinis Dei parte ponit, Deo ſimilem fieri? Nolo ſingula commemorare quibus Plutarchus ſingularẽ animi dignitatem & pulchritudinem explicuit, vt quando animum Dei ipſius inſtrumentum probat, quòd ſcilicet Deus hominis animum dirigat, flectátque quo velit, ipſéque animus Deo vtenti cedat, Dei motibus ſeruiat & conſentiat, non aliter atque Scythis arcus, lyręq; & tibiæ Græcis. Quando præterea ſcribit Deum charitate beneuolentiáque humanis animis inſpirata, ingeniíſque placidis ſimilibúſque ſui, nobis conceſsis, humanam vitam alacritate iucunditatéque repleuiſſe.

Plut. in eo lib. quẽ inſcripſit de iis qui ſerò puniuntur à Deo.

Plutarchus in lib. de diſcer. adulat.

οὕτω, inquit, τῷ βίῳ μίξας τὴν φιλίαν ὁ θεὸς, ἅπαντα φανερὰ, καὶ γλυκέα, καὶ τὰ προσφιλῆ τοῦ-τῆς παρούσης, συναπολαυούσης ἐποίησε. Quando inſuper pios qui hinc diſcedunt honoribus affici, eſséque eis peramœnũ locum repoſitum, vbi perpetuò lætaturi ſint, dicit: impios autem æternis torqueri pœnis, longéque à Deorum regnis ſummoueri, trudíque in tenebroſum, profundũ, ἄῤῥητον καὶ ἀόρατον, id eſt, infandum & inuiſibilem locũ, id eſt, ſi cum Chriſto Ieſu loqui mauis, in tenebras exteriores carcerémq; à luce & vita, omníque actione remotiſsimum. Quando denique plura ex aliis Philoſophis ad hoc inſtitutum noſtrum adducit: quæ ſi vel leuiter à nobis tangerentur, illa proculdubio in iuſtum quoddam volumen excreſcerent.

Non ſolùm prædictos Philoſophos de pulchro honeſtóque, id eſt, de vero animi ſplendore & bono, præclara ſcripſiſſe: ſed alios etiam haud illuſtres Philoſophos.

CAP. IX.

QVia non ſolùm prędicti Philoſophi, quorum profundiora ſenſa explicuimus

mus quid pulchrũ & honeſtũ, quid ve turpe & inhoneſtũ in hominis animo eſſet, intellexerunt: ſed fere omnis alia Philoſophorum cohors, placita quorundam Pythagoreorum Philoſophorum obiter tangemus, quæ ad hoc noſtrum inſtitutũ vel maximè facere videntur. Ab Iamblicho igitur Pythagoreo ĩcipiemus, qui ante omnia colẽdam pietatẽ cenſet, quòd ea res ſit optima & precioſiſsima. Eſt autem θεοσέβεια timor Domini, quẽ initiũ ſapiẽtiæ & fontẽ vitę vocat Sapiẽs, quę nimirũ iure τιμιώτατον ὂν dicitur, id eſt, res p̃cioſiſſima, optima & excellẽtiſsima, quã qui habet, id eſt, qui Deũ colit & timet, ei quẽ colit timétq;, ſimilis efficitur, quod certè his verbis dicere voluit Iamblichus Ἀπὸ τῶν τιμιωτάτων, inquit, ἀρχώμεθα πρώτων, ὡς δεῖ θεοσέβειαν ἀσκεῖν. αὐτὴ δὲ οὐκ ἂν παρεγένοντο, εἰ μή τις ἀφομοιώσειε τῷ θεραπευομένῳ τὸ θεραπεῦον. τὴν δὲ ὁμοιότητα ταύτην ἡ φιλοσοφία παρέχει. In hac autem θεοσέβεια comprehenditur cognitio illa Dei, quam plurimi facit Triſmegiſtus, illáque Dei ſimilitudo, quæ nihil aliud eſt, quàm perpurgata ſe-

Prouerb. 9. & 14.

gregatáque mens ab omni contagione, qua qui imbutus eſt, ab Ariſtotele dicitur θεοφιλέστατος καὶ εὐδαιμονέστατος vt diximus. Hanc εὐσέβειαν explicare videtur Simplicius, quando omnis beatę vitæ perfectioníſque animi principiũ & finem, conuerſionem, inclinationémque ad Deũ vocat. πάσης, inquit, εὐζωΐας καὶ τελειώσεως ψυχικῆς ἀρχὴ καὶ τέλος ἐστὶν ἡ πρὸς τὸν θεὸν ἀνάτασις. Perfectior autem tunc demum hæc erit cõuerſio, ſi ſenſis rectis cogitauerimus iuſtè omnium Deum proſpicere, iuſtéque eum & rectè omnia gubernare. Sed lõgè omnium perfectiſsima erit hæc conuerſio, ſi animus noſter vltrò libentérque his quæ à Deo fiunt, vt ab optima ſententia proficiſcentibus, obſequatur, ſique cùm eodem velut autore, cauſáque ſua firmis radicibus hæreat, vt perpetuò maneat incolumis, eámque perfectionem retineat, cum qua eum creauit Deus. Quòd ſi ſe inde diuulſerit atque abruperit, marceſcet ac dilabetur turpis elanguidúſque effectus, donec iterum cõuertatur, ad cauſámque ſuam redeat, eidémque rurſum vnia-

vniatur. Idem quoque cũ Plutarcho puram charitatem ſiue amicitiam amicas animas in vnitatem coniungentem, pulcherrimam exercitationem præparationémque eſſe putabat ad coniunctionem diuinam, ἡ καθαρὰ φιλία τὰς φίλας ψυχὰς εἰς ἓ ὥσπερ συνάγουσα μελέτη καλλίστη γίνεται τοῖς πρὸς τὸν θεὸν ἑνώσεως τυχεῖν. Propterea haud iniuria Pythagoreos laudat, quòd prę cęteris virtutibus charitatem venerarentur, eámque complexum cunctarum virtutũ dicerent. Quod quantum Euangelicæ fidei conſònum ſit, Epicureus aut Atheus facile intelligere poſſet, ſi quidquã deferret Euangelio. Siquidem Chriſtus Ieſus ſedulò colendam, amplectendámq; mutuam charitatem ſuis diſcipulis prǫcepit: *Ioan. 15.* hoc eſt præceptũ meũ, inquit, vt diligatis vos inuicem. Et rurſus, hoc mãdo vobis, vt diligatis vos inuicẽ. Sed in nouiſsima ſua cœna poſt manu propria lotos, linteóq; exterſos Apoſtolorum ſuorum pedes, rurſus ſui ipſius exemplo, ad charitatem, mutuúmque amorem eoſdem Apoſtolos ſuos adhortatus eſt in hunc modũ.

Ioan.13. Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magiſtrum & Dominum: & bene dicitis, ſum etenim. Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus & magiſter, vos quoque debetis inuicem alij aliorum pedes lauare. Exemplum enim dedi vobis, vt quẽadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Ibidem quoque dicit, in hoc enim cognoſcetis omnes quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis inter vos. Nihil igitur mirum ſi Paulus tantis elogiis dilectionem charitatémque illuſtrauerit, ſíque Apoſtoli omnes, toti in hac deprædicanda, omniúmque mentibus inculcãda fuerint. Sine hac enim venire non poſſumus ad illam ſapientiã & ſcientiã vnitatis contemplatricem, quæ finis eſt omnis contẽplationis, & quæ certé, vt ex A-
Ethico. 10. riſtotele colligere potuimus, τελειοτάτη ἐστὶ ζωὴ καὶ εὐδαιμονία, vitæ genus eſt perfectiſſimum ac beatum. Per hanc enim contẽplationẽ, ad diuinam maieſtatem ſuſpiciendam, Deúmque colendum accẽduntur animi. Sed & nos quoque per hãc trahimur in admirationem mirabilium operum

rum adminiſtrationis& maieſtatis, ſummęque prouidentiæ omnibus proſpicientis, omniáque regentis Dei. Cui adminiſtrationi adiuncta itidem eſt maxima cũ Deo coniunctio, fidéſque & ſpes, quæ maximè ad Philoſophandum, contemplandúmque neceſſariç ſunt. Quid multis agam? Sine hac charitate pius eſſe nemo poteſt, at pietas vera eſt animi pulchritudo, quam auſus eſt Plato in Epinomide tãti facere, vt nihil maius, nihil melius, neque quod magis nos ad vnitatis & boni intuitum adduceret, vna hac virtute ingenuè fateretur. μεῖζον μὲν γὰρ, inquit, ἀρετῆς μηδείς ποτε πείθη τῆς εὐσεβείας εἶναι θνητῷ γένει. Sine hac denique charitate caret animus prudentia, ad quam niſi mens ſit compoſita, nullo modo pulchra dici poteſt. Nulla enim ferè alia inſtitutio eſt, vt ait Xenophõ, apud homines, quæ meliùs Diis cognatos efficere nos poſsit. Quamobrem corpus imprudentum, & ſi bene concinnatum videas, non tamen pulchrũ dices, vt Xenophon ſcribit, καὶ τοίνυν inquit, τῶν μὲν ἀφρόνων τὸ σῶμα οὐδ᾽ ἂν εὖ ἡρ-

κοσμένον ἴδῃς, φήσεις καλὸν εἶναι. & addit, τῷ γὰρ ὄντι ἂν φαίης τὰ στερόμενα νοῦ ἔμφρονος, αἰσχρὰ πάντα καὶ ἄδικα ἐν ἀνθρώποις ἔσεσθαι. Reuera enim dixeris, inquit, quæ carent prudentia mentis, omnia inter homines turpia iniuſtáque fore. Ex quibus omnibus vides, quã verè Pythagorei dixerint charitatem, quæ vt diximus, ſine prudẽtia ſubſiſtere non poteſt, virtutem omniũ eſſe complexum. Sed ego non tã Pythagoreos admiror, quàm Chriſtum Ieſum, qui hoc ipſum Pythagoreis, per Spiritum ſuum nobis quoque homo factus, coràm reuelare dignatus fuerit. Hac charitate, prima animi pulchritudine penitus deſtituti ſunt Epicurei, multò autem magis Athei. Vtróſque enim ventrem pro Deo habere conſtat, quem ſolum colunt & amant, eáque omnia ſequuntur, quæ eos tãdem ad miſerabile exitiũ ſunt perductura.

Poetas

Poetas animi pulchritudinem & quid honeſtum eſſet, intellexiſſe : idque ſcitè admodum verſibus ſuis expreßiſſe.

CAP. X.

POëtæ qui non ſolùm delectare, ſed & delectando prodeſſe voluerunt, ſcitè admodum animi noſtri pulchritudinem diuinis ſuis verſibus explicuerũt. Qua in re primas mihi videtur habere Horatius, qui paucis nobis id aperit quod Homerus ſub quodam delectabili lepidarum fabularum contextu, in tota ſua Iliade & Odyſſea dicere voluerit. At quid quæſo, aliud nobis illîc exprímit Homerus, quàm humanę vitæ ſtatum? Aut quid in vno Vlyſſe quærit, quã illud pulchrum honeſtúmque animi, de quo diſſerimus? Hoc autem verum eſſe quod dicimus his verſibus teſtatur Horatius,

Rurſus quid virtus, & quid ſapientia poßit, Hor. in Eriſto. ad Lol.
Vtile propoſuit nobis exemplar Vlyſſem:
Qui domitor Troiæ, multorum prouidus vrbes
Et mores hominum inſpexit, latúmque per æquor
Dum ſibi, dum ſocius reditum parat, aſpera multa

Pertulit, aduerſis rerum immerſabilis vndis,
Sirenum voces, & Circes pocula noſti:
Quæ ſi cum ſociis ſtultus cupidúſque bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors,
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.

Quid præterea in tota ſua Iliade dicere Homerus voluerit, idem vates his verbis interpretatur.

Fabula qua Paridis propter narratur amorem,
Græcia Barbariæ lento colliſa duello,
Stultorum regum & populorum continet æſtus.
Antenor cenſet belli præcidere cauſam.
Quid Paris? vt ſaluus regnet, viuátque beatus,
Cogi poſſe negat, Neſtor componere lites
Inter Pelidem feſtinat & inter Atridem,
Hinc amor, ira quidem communiter vrit vtrúnque.
Quicquid delirant reges plectuntur Achiui.
Seditione, dolis, ſcelere atque libidine & ira,
Iliacos intra muros peccatur & extra.

Meliùs ergo Chryſippo & Crantore quid pulchrum, quid turpe, quid vtile ſit, dixit Homerus, vt idem ad Lollium hunc in modum ſcribit.

Troiani belli ſcriptorem maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneſte relegi.
Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Pleniùs ac meliùs Chryſippo & Crantore dicit.

Homerum ſequutus eſt Virgilius, qui &

pij fortíſque ac conſtantis viri officium in vno Ænea expreſſit. Reliqua autẽ Poëtarum cohors nõ ſecus ac Homerus, Vergiliúſque, pulchrum & turpe quid eſſet, doctè copioſéque nobis expoſuit, in quibus Sylius Italicus valde concinnè ſuauitérque quid fugiendum, quídque ſequendúmque eſſet oſtendit, dum turpiter eiecta exploſáque voluptate à virtute, tractũ arreptúmque Hannibalem his mellitis verſibus, fingit.

Quæ poſtquam cecinit ſacrato pectore virtus,
Exemplis lætum, vultúque audita probantem
Conuertit iuuenem.

Prius autem quàm id fieret, voluptatem ſuis coloribus affabrè virtus depinxerat, magnáque ratione quęcunque ab eadem in ſe contorta fuerant, depulerat, idque his doctis ac lepidis verbis. *Lib. 15.*

Tunc Virtus quáſnam iuuenem florentibus, inquit,
Pellicis in fraudes annis, vitæque tenebras?
Cui ratio & magnæ cœleſtia ſemina mentis,
Munere ſunt conceſſa Deûm, mortalibus alti
Quantum cœlicolæ, tantundem animalibus iſti
Præcellunt cunctis, tribuit nanque ipſa minores
Hos terris natura Deos: ſed fœdere certo

Degeneres tenebris animas damnauit auernis,
At queis ætherei ſeruatur ſeminis ortus,
Cœli porta patet.

Idem poſt quædam alia, quam hominibus perniciem detrimentúmque afferat voluptas, quámque in ſe habeat turpitudinem his paucis oſtendit.

-Iam aſpice latè
Florentes quondam luxus quas verterit vrbes:
Quippe nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quanta ſola noces animis illapſa, voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris,
Circa te ſemper volitans infamia pennis.
Mecum honor & laudes, & læto gloria vultu.
Et decus, & niueis victoria concolor alis.

Xenoph. de dict. & fact Socrat. lib. 2.

Hæc omnia quæ in Hannibale facta fingit Sylius, ad Herculem refert Xenophō, idque totum acceptum fert Prodico, in illo quod de Hercule edidit opere: Voluptatem autem prauitatem vocat, quæ vbi Herculem multis verbis à Virtute ad voluptuariam vitam abducere conata eſt, eadem omnino quæ hîc voluptas, audit à Virtute. Eiuſdem fabulæ meminit Cicero in ſuis Officiis, quando de eligẽdo vitæ ſtatu loquitur, quæ certè eſt ad exprimendum

mendum id quod in homine pulchrum, turpéque dici debet, vel aptiſſima. Nolo cōmemorare ſingula quæ in rationē pulchri & honeſti ſcripſerunt illuſtres Poëtę. Hæc enim vel ingens volumen non caperet, ſolùm igitur paucula, vt ne lōgior ſim, ex Græcis Poëtis de hac re delibabo. Plærique Poëtæ maximum animi ornamentū, primámque eius pulchritudinē, virtutem dixerunt, parum corporis pulchritudinem curantes, (tametſi inter humana bona maximè hominibus grata ſit) niſi ea animi quoque pulchritudini coniungeretur. Quare haud iniuriâ Euripides in Oedipo animum ſpectandum cenſet, nullámque corporis pulchritudinem Rom.8. delectare putat, quæ mentis minimè annexa ſit pulchritudini. Sic enim ille,

Νοῦν χρὴ θεάσασθαι, οὐδὲν τι τῆς εὐμορφίας
ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας ἔχῃ.

Propterea in Chryſippo deformē ſe maiult eſſe quàm pulchrum & malum,

Δύσμορφος. inquit, εἴην μᾶλλον, ἢ καλὸς κακός

Deformitatem autem vitium putat, pulchritudinem verò, virtutem, quam idcir-

co in Eriphyle toto animo ampleƈtendā ſuadet, quòd eius ſola cōſtans perpetuáq; ſit poſſeſſio. ἀρετῆς, inquit, βέβαιαι δ' εἰσὶν αἱ κτήσεις μόναι. Virtus enim, tametſi poſſeſſor ipſius intermoriatur, non interit tamen, ſed & nonexiſtente amplius corpore, viuit illa: vtque clara ſemper æternáque verè habeatur. Malis autem euanida omnia ſunt, quæ & ſub terra perire commoríque videmus, vt idem his confirmat vrbis,

Ἀρετὴ δὲ κἂν θάνῃ τις, οὐκ ἀπόλλυται·
ζῇ δ' οὐκ ἔτ' ὄντος σώματος. κακοῖσι δὲ,
Ἅπαντα φροῦδα συνθανόντ' ὑπὸ χθονός.

Virtutū autē primā, ſapiētiam ac prudentiam non ſolùm Philoſophi, vt ſuperiùs oſtendimus, ſed etiam Poëtæ illuſtriores aſſerunt, cui omnia ſubiici vult Menander. ἅπαντα, inquit, δοῦλα τῷ φρονεῖν καθέστηκε. Non eſt enim, vt alibi ſcribit, ἐν ἀνθρώπου φύσει μεῖζον λογισμοῦ, id eſt quidquam ratione maius. Eam ob rem prudentiam reƈtam, magnum Deum vocat Agatho, qua qui caret ſimilem feris brutíſque animantibus in hęc verba doƈtè lepidéque dicit Orpheus,

οἱ δ' ἴκελοι θήρεσσιν ἀιδρίες, ἠδ' ἀδίδακτοι
σχήτει δαιμονίοιο νοήματος, οὐθ' ὑπ' ἀρωγὴν
θεσπεσίην φυγέειν φαεσίμβροτον ἐκ κακότητος
οὔτε τιθέσκαλον ἔργον, ὅκεν μάλα θαυμάζοιντο
ἴσας, ἀλλά σφιν νεφέλη περιπέπταται κελαινὴ
ἀμφιπεριπλασθεῖσα βαδιζέμεν αὐθεμόεντα
εἰς ἀρετῆς τὸν λειμῶνα πολυστέφανόν τε μεγαίρει

Quod ſic reddi poteſt,

Gens indocta, feris ſimilis, cui cœlica nullam
Mens lucem irradiat, ſed quæ improba deſpicit omne
Conſilium Diuum, *lucens mortalibus, & quæ*
Haud meditatur opus celſum & mirabile, quam non
Atra ſinit nubes, cingens fera corda, ſubire
Florida prata Deæ *virtutis & amœna vireta.*

Hæc in homines omni ſapiētia, cōſilióq; & ratione deſtitutos Orpheus. Quòd autē ſit huius ſapientiæ prudentiæque officiū, quam Philoſophi Poëtæque illuſtriores meritò plurimi faciunt, paucis declarat Pythagoras, quando vnumquénque docet, quibus rebus ſeſe aſſuefacere debeat, ídque in hunc modum,

--κρατεῖν δ' ἐθίζεο τῶνδε,
γαστρὸς μὲν πρώτιστα καὶ ὕπνου, λαγνείης τε,
καὶ θυμοῦ, πρήξεις δὲ αἰσχρὸν ποτὲ μήτε μετ' ἄλλου,

μήτ' αὐτὸς, πάντων δὲ μάλιστα αἰσχύνεο σαυτὸν,
εἶτα δικαιοσύνην ἄσκει, ἔργῳ τε λόγῳ τε.
μήτ' ἀλογίστως σαυτὸν ἔχειν περὶ μηδὲν ἔθιζε,

Quod ſic verti poteſt,

Fac ventre & ſomno, cæcáque libidine & ira
Victis, aſſueſcas victricia tollere ſigna.
Turpe quoque abiicias abs te, nec lædito quenquam.
Te reuerere, colens animum, factiſque decoris
Et verbis facias quod iuſtum eſt, ac nihil à te
Exeat, à vera prorſus ratione remotum.
Sed cuncta ita agito, nil vt deliret amuſsis.

Habes igitur ex his omnibus, probatam tibi dignitatis, pulchritudiníſque animi rationem, qua Epicureos Atheóſque huius ſeculi, ſui erroris facilè conuictum iri ſperarem, ſi vel in illis tantùm relicta eſſet rationis, mentíſque diuinæ mica. Sed vereor, ne in ſua hæreſi, impurioréque viuendi modo, ita callum ſtylúmque obduxerint, vt nunquam in melius reformari poſſint.

Reſtat vt probemus illuſtriores Philoſophos & Poëtas, eandem ignobilitatis turpitudiníſque animæ cognitionem, atque dignitatis pulchritudiníſq; eius habuiſſe.

FINIS SECVNDI LIBRI.

IOANNIS NEOVILLEI GENVILlani, de pulchritudine animi,

LIBER TERTIVS.

Veteres Philoſophos peccati quidem deformitatem, ſed non primigeniæ noxæ cauſam cognouiſſe.

CAP. I.

NOn aliter veteres Philoſophi peccati deformitatẽ atque pulchrum & honeſtum, id eſt, virtutis ſplendorem, animíque pulchritudinem cognouerunt. Primigeniæ tamen noxæ cauſam minimè intellexerunt. Quanquam Mercurius Triſmegiſtus, qui mundi huius, ipſiúſque hominis

creationem verè claréque ſcriptis ſuis cõfirmauit, cauſam ſubodorari videatur, quamobrem à libertate in ſeruitutẽ peccati, ab immortalitate in mortalitatẽ, prima hominis conditio immutata fuerit.

Ethico. 10. Ille enim, vbi de mentis ad externa ſe expandẽtis, & ad diuini verbi ſui exemplar, omnia quæ in aëre, quæque in aqua & terra ſunt, formantis, admirabili operatione loquutus eſt, vbi præterea inſignem hominis creationem tetigit, quem Deus ad ſui ipſius ſimilitudinem & imaginem, id eſt, ad filij ſui exemplar effinxit. (Eſt enim filius reſpectu Patris ſui, imago, reſpectu verò hominis, exemplar) eundem hominem dicit de intelligibili ſphęra, ad corporeorum concupiſcibiliúmque ſphęram deſcẽdiſſe, ibique primùm malorum omnium fomitis originem inueniſſe, atque peſtilenti peccati contagione affectum, notatúmque fuiſſe, & idcirco morti cum tota ſua poſteritate factum obnoxium.

In Pimand. ὑπεράνω γὰρ ὢν τῆς ἁρμονίας, ἐναρμόνιος γέγονε δοῦλος. Sed quid aliud fuit hominem ſic à ſphæra intelligibili ad corporeorum,

concu-

concupiſcibiliúmque ſphæram deſcẽdiſſe, ibi fomitẽ malorum inueniſſe, vitámq; cum morte commutaſſe, quam eundem à iuſtitię, innocentiæque ſtatu, ad peccatum mortis aculeum, per concupiſcentiam cecidiſſe, illáque ſua prima dignitate, primoque motum gradu fuiſſe? Quod ſanè primis noſtris parentibus contigiſſe, nemo Chriſtianus eſt, qui ignoret. Alij verò Philoſophi hominis corp⁹, peccati cauſam eſſe volũt. Dicũt enim animas ſimulatque in corpora illabuntur, obliuione, errore, ignorantiáque imbui. Antè enim quàm eò deſcendant, non ſolùm puræ & incõtaminatæ, verùm etiam ſcientiis variis ornatæ ſunt, ſed vbi in hoc corruptibile, continuæque mutationi obnoxium corpus immigrarunt, ab eo quiddam corporeum, concretúmque ſibi contrahunt. Quò fit vt peccatis obnoxiæ ſint, omniúmque penitus obliuiſcantur. Qua quidẽ opinione imbutus Socrates, noſtrum ſcire nihil aliud eſſe putabat, quàm reminiſci. Fuerũt tamen qui dicerent animam lapſam in corpus humidum, eiúſque obſtacu-

Plato in Memn.

ſtaculo impeditam, ab initio dementem eſſe, verùm humore paulatim propter innatum calorem exhalante, magiſque temperato, prudentem animi potentiam cõualeſcere. Quod Proclus meritò reiicit. Hic enim perfectionis modus, vt idẽ ſcribit, corporeus & materialis iudicãdus eſt, ſupponítque perfectionem animæ, ex cõtemplatione corporis proficiſci. Sed hoc falſum eſt. Animã enim ante elementa generationémque, totam ſuã habere ſubſtantiam, vult Proclus, quam & vitã quãdã eſſe, neque corpori neque naturæ admiſtam fatetur. Aliorum rurſus opinionem reprobat, qui animam putant quandam diuinæ eſſentiæ partem, partem, inquam, toti perſimilem, ſempérque perfectam. Tumultum verò perturbationéſq;, circa illud verſari quod in nobis animal eſt. Qui enim hæc aiunt, animam ſemper perfectam fingunt, ſempérque ſcientem, nec vnquam reminiſcentia indigentem, ſed & eam ſemper paſsionis expertẽ, nec aliquãdo deprauatam volunt. Quod falſum eſſe idem Proclus docet. Ex his ergo colli-

colligere poſſumus, Triſmegiſtũ, peccati cauſam, longè cæteris & veriùs & meliùs attigiſſe, & quod maius eſt, regenerationis autorem, cauſámque plane intellexiſſe, vt mox dicturi ſumus.

Quòd Triſmegiſtus, vt primigeniæ noxæ cauſam, ita & regenerationis autorem intellexiſſe videatur.

CAP. II.

HOc quoque haud leue eſt, quòd tantus Philoſophus regenerationis noſtræ miſterium intellexerit, quod vt quidpiam arcanum, admirabiléque, ſilentio tegi vult, próque tanto ſummi Dei in nos beneficio, ad immenſas gratiarum actiones Tatium filium inducit. Sed audiamus quàm clarè, quàm apertè de hac regeneratione loquatur. Dic age, inquit apud eũ Tatius, Quis eſt regeneratiõis autor? Reſpõdet Triſmegiſtus: Dei filius homo, vnius volũtate Dei. Certum eſt de diuino Dei verbo loquutum hîc fuiſſe Triſmegiſtum. Nam quanuis

Merc. de generat. & impoßidēt.

participatiõe, cõmunicationéq; luminis dei, eiúſq; gratię, filijDei dicamur. Nõ eſt tamen quod homo quiſpiam quantũuis ſanctus, regenerationis noſtræ autor eſſe poſsit. Solus ergo filius Dei factus ex mu-
Galat. 4. liere, factus ſub lege id eſt, factus legi obnoxius, vt eos qui ſub lege eſſent redimeret, vnius volũtate patris, nos Spiritu ſuo regenerauit nouóſque fecit, vt æternam hæreditatem aſſequeremur. Solus ea nobis ſubminiſtrauit, iíſq; armis nos inſtruxit, quibus vltrices illas peſtes duodecim, quarum meminit Triſmegiſtus, ignorãtiam, triſtitiam, inconſtantiam, cupiditatem, iniuſtitiã, luxuriam, deceptionem, inuidiam, fraudem, iram, temeritatem, malitiam exploderemus. Per filium enim Patrem cognouimus. Filius enim lux fuit in tenebris lucens, filius lumen fuit miſſum ad gentium reuelationem. Quod regius Pſaltes iuſtis & rectis corde exortum
Eſaiæ 9. canit. De quo Eſaias: Ambulantibus, inquit, in regione vmbræ mortis, lux orta eſt. Per hanc igitur lucem diſsipatæ errorum omnium tenebræ ſunt, deſcendítque
in

in nos cognitio Dei, qua accedēte repulſa eſt ignoratio. ἦλθεν ἡμῖν γνῶσις τοῦ θεοῦ. ταύτης δὲ ἐλθούσης ὦ τέκνον, ἐξηλάθη ἡ ἄγνοια. Per Chriſtum quoque gaudij cognitio in nos deſcēdit. Prius enim quàm filius Dei veniſſet, mortui ob delictū, omníque ſpe penitus deſtituti eramus. At ille nos vitæ reſtituit, reſtitutos in beatam ſpem futuræ gloriæ, adoptioníſque filiorum Dei erexit, in eámque ſpem erectos, atque ita animatos, vſque adeò conſtantes & ab omni animi mollitie alienos reddidit, vt pro eius, iuſtitiæq; Dei nomine, mortes quantúmvis diras pati non timeamus. Et hoc eſt quod dicit Triſmegiſtus, ἦλθεν ἡμῖν γνῶσις χαρᾶς. παραγενομένης ταύτης ὦ τέκνον, ἡ λύπη φεύξεται εἰς τοὺς χωροῦντας αὐτήν. δύναμιν καλῶ ἐπὶ χαρᾷ τὴν ἐγκράτειαν. ὦ δύναμις ἡδίστη. προσλάβωμεν αὐτήν, ὦ τέκνον, ἀσμενέστατα. πῶς ἅμα τῷ παραγενέσθαι, ἀπώσατο τὴν ἀκρασίαν. Deſcendit, inquit, in nos cognitio gaudij, qua pręſente triſtitia penitus aufugit, in eóſq; ſe vertit qui eā accipere parati ſunt. Cōſtantiam voco poteſtatem ad gaudium perducētem, cuius

virtus proculdubio ſuauiſſima eſt. Complectamur igitur eam libentiſſimè fili. Ea enim cumprimùm aderit, mollitiem omnem prorſus expellet. Poſt hæc quoque clementiæ meminit, quam τὴν κατὰ τοῦ ἐπιθυμίας δύναμιν, id eſt, vim vniuerſarum victricem cupiditatum vocat, deinde iuſtitiæ, quæ omni iniuſtitiæ contraria eſt. Has Chriſtus Ieſus verbo, exemplóque in primis colēdas docuit, vt paſſim in Euāgelio legimus. Sed & veritatem ſic in piorum hominum animis inſeuit, vt ab his procul liuor, fraus, ira, temeritas malitiáque omnis abſceſſerit, Quid multis agā? Id Chriſtus Ieſus effecit, vt ſuo merito Spiritus Dei in animos noſtros immitteretur, per quem nos, qui priùs, filij iræ dicebamur, nunc Deum, Abba, id eſt Patrē confidenter inuocaremus, mirabile nimirum eius regenerationis effectum experti, quod Triſmegiſtus non ignorauit, aut ſaltem ſubodoratus eſſe videtur.

Quòd

Quòd Triſmegiſtus peccatum animi deformitatem eſſe intellexerit.

CAP. III.

QVemadmodũ Dei cognitioni cõiunctam eſſe pietatem, eámque in primis verã animi pulchritudinẽ eſſe dicit Triſmegiſtus, ita cõiunctã ignorantiæ impietatem, maximam animi turpitudinem fatetur. Omnis autem peccati, impietatíſque originem, dolorẽ, voluptatémque putat, quæ in nobis excitatur. Si quidem ψυχὴ πᾶσα ἐν σώματι γενομένη, εὐθέως ὑπό τε τῆς λύπης καὶ τῆς ἡδονῆς κακίζεται. σώματος γὰρ συνθέτου, ὥσπερ χυμοὶ ζέουσιν, ἥτε λύπη, καὶ ἡ ἡδονὴ, εἰς ἃς ἐμβᾶσα ἡ ψυχὴ βαπτίζεται, id eſt, anima infuſa corpori, à voluptate atque dolore continuo deprauatur. Ex corporis enim commiſtione, ceu riuuli quidem ex fonte ſcaturiũt dolor & voluptas, in quos ſe immergens anima, tota madens ſuffocatur. Ad hæc accedit corporis ipſius grauitas, corruptio, mutatio, quæ animum alioqui ad

Mercur. ad Tat. de cõmuni.

Dei, rerúmque cœleſtium contemplationem aptiſſimum, ad fluxarum rerum ſtudium adtrahunt. Huius autẽ rei cauſam ignorantiam obliuionémque eſſe putat. Ipſam autem obliuionem & ignorantiã vocat improbitatẽ. ὅταν δὲ, inquit, ὀγκωθῇ τὸ σῶμα καὶ κατα σπάσῃ αὐτὴν εἰς τοὺς τοῦ σώματος ὄγκους, διαλύσασα δὲ ἑαυτὴν, ἐγγεννᾷ λήθην, καὶ τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ οὐ μεταλαμβάνει. ἡ δὲ λήθη κακία γίνεται. Cùm verò, ĩquit, corpus eſt compactum, animámque in ſuiipſius molem diſpergit ac diſtrahit, tunc illa obliuioni ſubiicitur, pulchróque ac bono priuatur. Obliuio autem ipſa eſt improbitas. Nihil igitur mirum ſi ignorantiã, quæ Dei cognitioni ex diametro eſt contraria, tantoperè vituperet Triſmegiſtus. Hæc enim facit, vt anima noſtra corporis vinculis conſtricta corrũpatur, impediatúrque quò minùs ſalutis iter ſibi aſciſcere, illúdque conſtanter tenere poſsit. Hæc præterea facit, vt quod deterius eſt ſequamur, id eſt, nos, vt ipſe doctè ĩterpretatur, penitus perdit. Nam cùm potioris optio pulchra & honeſta eligentis, non nos ſolùm

Mercu. in claui ſua ad Tat.

lùm

lùm hominis appellatione dignos faciat, ſed Deo quoq; reddat perſimiles, deterioris electionē cōtraria in nobis facere neceſſe eſt. Quæ ſit autem prauæ pernicioſęque electionis huiuſmodi cauſa, dicere videtur idem Triſmegiſtus, quādo ſeminis Dei & ſeminis Diaboli meminit, mētémque vult notiones omnes concipere, bonas quidem quoties à Deo ſemen infunditur, cōtrarias autem cùm à dæmonibus quibuſdā ſpermata iaciuntur. Mētem igitur dæmonis ſemine conſperſam, prægnantémque parere dicit adulteria, ſtupra, homicidia, parricidia, ſacrilegia, diuinorum contemptum, iugulationes, euerſiones vrbium, peſtes hominum, & reliqua omnia quæcunque malorū ſunt opera dæmonum. Hoc ſemine inſperſi, prægnantéſque erant Iudæi, quos Chriſtus Ieſus ex patre Diabolo eſſe dicebat. Hoc quoque ſemine inſperſi Epicurei & Athei ſunt, omnéſque impij, quorum ſalus videtur eſſe deplorata. Porrò Dei ſemina eſſe pauca dicit, ſed illa quidē magna, pulchra, bona ſunt, virtus ſcilicet,

Mercurius ad Aſclep. quòd in ſolo Deo pulchrum.

oppreſſionibus, quos impiè perſequuntur impij: hoc denique clarè probatur verbis ipſis impiorũ, quos talia in inferno tandem dicturos Sapiens vaticinatur. *Sapient.5.* Hi ſunt quos aliquãdo habuimus in deriſum, & in ſimilitudinẽ improperij. Nos inſenſati vitam eorum æſtimabamus inſaniam, & finem eorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt, &c. Hos enim vt odio mundus habuit, ita & illi mundum odio habuerunt. Quibus, vt inquit Apoſtolus, dignus non erat mundus. *Heb.11.* Sed audiamus quomodo Triſmegiſtus vnumquenque inſtruat, vt ab omni ignorãtia ſe eximat. Vult vnumquenque *Mercur. ad Tat. de cõmuni.* hominem mente regi, quod magnis ſedulíſque precibus ab optimo Deo primùm oportet impetrari. Nam quibuſcunque animis mens præſidet, ſuo illos fulgore illuſtrat, eorum moribus, malíſque reſiſtit. Hæc quoque quemadmodum peritus medicus ægroti hominis corpus doloribus afficit, hoc vrendo, illud ſecando recuperandæ valetudinis ergò, eodem quo-

que modo animum voluptatibus nimis affixum affligit, vt voluptatis, cœcæque libidinis radices prorſus euellat. Ab hac enim omnis animę morbus, morbus autẽ animæ grauiſsimus impietas & prauitas,

Merc. in claui ſua ad Tat.

prauitas autem, animæ ignorantia, quæ facit, vt anima naturę rerum, boníque inſcia, orbata oculis, corporis ſeſe paſsionibus implicet. Contrà, virtus animi cognitio eſt: eruditus enim reuera bonus, pius, diuinus, qui cùm primùm diuinam viſionem prægustauit, obliuioni reliqua omnia tradit, atque etiam quæ reliquis hominibus mala ſunt, huic vt bona contingunt, conſulenti prudenter, & ad ſcientiã ſingula referenti & reducenti: quódque magis mirãdum, mala ſemper in bonum conuertenti. Quod poſtremum notatu dignum his verbis effert Triſmegiſtus, ὁ μὲν τοι θεοσεβὴς, πάντα ὑποστήσει αἰσθόμενος τῆς γνώσεως. πάντα γὰρ τῷ τοιούτῳ, κἂν τοῖς ἄλλοις τὰ κακὰ, ἀγαθά ἐστι. καὶ ἐπιβουλευόμενος, πάντων ἀναφέρει εἰς τὴν γνῶσιν. καὶ τὰ κακὰ μόνος ἀγαθοποιεῖ. Alia plurima ſcribit Triſſmegiſtus, quibus facilè animi turpitudinem

dinem explicat, modúmque præſcribit, quo animum ab eadem ignorantia, craſſiſque tenebris eximere, pulchrúmque & Deo ſimilem reddere poſsimus.

Vt pulchri, ita & turpis rationem exquiſitè tenuiſſe Platonem.

CAP. IIII.

TRiſmegiſtum ſequutus Plato, omnis vitij fontem, dolorem & voluptatē putat. Quanquā non inficiatur voluptatum alias quidem bonas, alias verò malas eſſe, bonas vocans quæ vtiles ſunt, malas autem quę ſunt noxiæ. Dolorum pręterea alios bonos, alios malos eſſe vult hos fugiendos, illos eligendos ducit. Harum autem perturbationum vim in nobis ab ipſa origine naturaliter excitari affirmat. Dolorem quidem iis, qui præter naturam mouētur, accidere: voluptatem verò illis qui in naturam ſuam reſtituuntur. Exiſtimat enim naturalem hominis ſtatum medium inter voluptatem atque dolorem, dum ſcilicet neutro mouetur

quo in ſtatu plurimum tempus viuimus. Hominem præterea ſi nullo circa voluptates ſtupore, ſed ὀλιγώρως καὶ κοσμίως ſeſe habeat, ſcitè agere, viueréque optimè dicit. Ille enim cupiditates ſuas caſtigat, aut adeò reprimit, vt raræ admodum ſint aut exiles reddantur. Quòd ſi contingat partem illã rationis minimè participem dominari, victa aut dormiẽte, vel conniuẽte etiam illa animi parte, quæ rationis eſt particeps, tunc, inquit, animũ ſibi ſubiiciãt impellãtq; quò libuerit, agreſtes & ferinæ illæ perturbationes, quæ præter naturam hominis ſunt, & quæ ex peruerſione vitæ, ac deterrima conſuetudine procreantur. Quæ ſiue vehementes, ſiue intenſæ, ſeu remiſſæ ſint, aut quomodocunque ſe habeant, ſemper aberrant, mediocritatémque laudabilem nullã prorſus admittunt. Sed & id certè efficiunt, vt iuxta Euripidis dictum, homo his furiis actus, non tam viuus quàm mortuus dici debeat. Euripides enim miſeram intẽperantis hominis conditionem ſecum reputans, dicebat, τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μὲν

ἐστι

ἔστι κατθανεῖν, τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν; καὶ ἡμεῖς τῷ ὄντι ἴσως τεθνάμεν. Quis nouit vtrūm viuere quidem mori ſit, mori autem viuere? Et nunc fortè reuera mortui ſumus. Se quoque Socrates apud Platonem à ſapiēte quodā audiuiſſe narrat, nos nunc mortuos eſſe, corpúſque noſtrum ſepulchrum eſſe nobis, partémque illam animę in qua cupiditates ſunt, perinde ſe habere, ac ſi perſuadendo, viciſsímque diſſuadendo, ſurſum, deorſúmque agitetur. ὅπερ ἤδη του ἔγωγε καὶ ἤκουσα τῶν σοφῶν, ὡς νῦν ἡμεῖς τεθνάμεν, καὶ τὸ μὲν σῶμα ἐστιν ἡμῖν σῆμα. τῆς δὲ ψυχῆς τοῦτο ἐν ᾧ αἱ ἐπιθυμίαι εἰσὶ, τυγχάνει ὂν οἷον ἀναπείθεσθαι καὶ μεταπίπτειν ἄνω καὶ κάτω. Addit quoque hanc animi partem, propter ſuaſionem, credulitatémque, lubricum dolium à quodam elegāti Siculo dictam, dictos præterea ab eodem dementes, prophanos ac damnatos, vt quorum hęc animi pars, quæ libidinibus agitatur, tanquā futilis ob incontinentiam inexplebilem, perforatum eſſet dolium. Talia dolia dici poſſunt huiuſce temporis Epicurei, quorum inexplebilis eſt incontinētia, quibus *Plato in Gorgia.*

nihilo meliores ſunt Athei, quorum vita penitus eſt pecuina. Porrò dementium animum idcirco elegãs ille Siculus perforato dolio aſsimilabat, quòd propter inuidiã, affectionem, obliuionémque, nequeat infuſum aliquid continere. Dementiæ autem, vitiorúmque omnium cauſam, ignorantiam eſſe putabat, quam deprauationem quandam, habitus alicuius cognomẽto dictam, aut genus quoddam eſſe vniuerſæ improbitatis, aliudq; prorſus habere, ac Delphica præcepta doceãt, exiſtimauit, τὸ δ' αὖ, inquit, πάσης πονηρίας ἐστὶ τοὐναντίον πάθος ἔχον, ἢ τὸ λεγόμενον ὑπὸ τῶν ἐν Δελφοῖς γραμμάτων. Præceptum autem Delphicum erat, *Noſce teipſum.* cui oppoſitum eſſet, ſi præciperetur, nullo modo teipſum noſce. Et huic quoque oppoſito parẽt, qui ſeipſi ignorant: quorum ignorantia fit, vt multa vitiorum turpitudine deformetur anima. Nam ſi Socrati apud Xenophontem credimus, vt multorum bonorum cauſa ſunt ſui ſcientiam habentes homines, ita multa mala in ſe, alióſq; inuehunt, qui ſui ſunt ignorãtes. Illi enim

Plato in Phileb.

Xenophon de dictis & fact. Socra. lib. 4

ineptè ſe in rebus omnibus habent, & aduerſus cæteros homines, & ad res humanas: nec quibus indigent ſciunt, neque quid agant, neque quibus vtantur: ſed his omnibus fruſtrati, bonis priuantur, multáque in mala incidunt. Conſulit ergo Plato, vt vnuſquiſque nō corpus quidem ſuum, non poſſeſsiones, non pecunias cognoſcat, ſed animæ ſuæ in primis curam habeat, ſempérque ad eam reſpiciat: corporum autem pecuniarúmque curam aliis relinquat. Nam qui ſeipſum, inquit, noſcere vult, neceſſe eſt, vt in animam intueatur, in eúmque præcipuè locum animæ, in quo ineſt virtus animæ, ſapientia, & in aliud, cuius hoc eſt ſimile. Id autem animæ, diuino ſimile eſt, in quod ſanè quis intuens, & omne diuinum, Deum ſcilicet & ſapientiã cernens, tandem ſeipſum agnoſcet. Seipſum verò cognoſcere maximam prudentiam eſſe dicit. Verùm quia cupiditates videbat nobis haud paruo impedimento eſſe, quò minùs id, quod proximè dictum eſt, præſtaremus, vt huius rei nos commone faceret nóſque

excitaret,vt huiuſmodi cupiditates caſtigaremus vel reprimeremus, in principio libri noni de Rep. vnicuique homini ſpeciem quãdam cupiditatum ineſſe diram, agreſtem, iniquam, affirmat, quam hos etiam qui inter homines maximè moderati videntur, habere dicit, quod in ſomnis manifeſtum fieri docet. Si quidem in ſomnis ſæpius excitãtur cupiditates, quoties animi pars illa quę rationis particeps, mãſuetáque & illius domina eſt, dormit: ferina autem & agreſtis, cùm ſit immoderato potu atque paſtu repleta, exultat, tentátque excutere ſomnum,& ſolitis libidinibus indulgere. Tunc quippe nihil eſt quod non audeat,veluti ſoluta & libera omnibus verecundiæ, prudẽtiæq́, pręceptis, vt aut cum matre corpus miſcere nitatur,aut cum quouis alio homine, vel Deo ſæpe & bellua, atque etiam trucidare aliquem & multis vulneribus afficere, ſicque licentioſius laſciuiat, vt videatur à nulla prorſus voracitate abſtinere, nec vt breuiter complectar, ab vlla inſania, vel impudentia temperare. His ergo diris, agreſtibus,

greſtibus, iniquis cupiditatibus nos ĩ ſomnis etiam affici dicit Plato, quod certè teſtari in primis poterũt Epicurei & athei huiuſce temporis homines, qui cùm ſolum ventrem ſuum colant, & non niſi eo cibis potúque diſtento, ſe quieti tradant, non poſſunt non his nefariis inſomniis commoueri. Verùm qui rectè moderatéque habens quieti ſe tradiderit, ea parte animi in qua eſt ratio, excitata & recta, ſaturatáque bonarum cogitationum epulis, & ad ſeipſam contemplando conuerſa: ea verò quæ voluptatę alitur, nec inopia preſſa, nec plus ſatis ſatiata, vt quieſcat maximè, neque optimam illam partem, aut geſtiendo, aut mœrendo perturbet, ſed ſinat eã, per ſeipſam ſolam ac puram conſiderare, indagare, atque percipere, quicquid ignotum hactenus, vel præſentium, vel præteritorum, vel futurorum: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum æſtuat ardor, ſedata atque reſtincta, vſque adeò vt nulli infenſa quieſcat: atque ita partibus quidem duabus pacatis, mẽte verò erecta, ſomno ſe com-

paret : tunc demum mens pura verita-
tem attingit, neque ei tum temporis in
ſomniorum viſa nefaria ſe obiiciunt. His
verbis, aliíſque, quas variis in locis ſcribit
rationibus, docet Plato humanæ naturæ
corruptionẽ, ipſiúſque adeò corporis no-
ſtri ad libidinem, omnéque vitium mi-
rabilem eſſe promptitudinem. Quod cer-
tè optimi, ſanctiſsimíque quique viri ex-
perti ſunt, vt non mirer Platonẽ audacter
ſubiunxiſſe. ταῦτα μὲν τοίνυν ἐπὶ πλέον ἐξήχθη-
μεν εἰπεῖν. ὃ δὲ βουλόμεθα γνῶναι, τόδ' ἐστίν. ὡς ἄρα
δεινόν τι καὶ ἄγριον καὶ ἄνομον ἐπιθυμιῶν εἶ-
δος ἑκάστῳ ἔνεστι, καὶ πάνυ δοκοῦσιν ἡμῶν ἐνίοις
μετρίοις εἶναι. Vt igitur tanto vitio, mor-
bóque remedium & medelam daret Pla-
to, iuſtitiam, ſapiẽtiámq; cõiunctas, inſe-
parabiléſque virtutes primũ colẽdas cen-
ſet. Nã vt hæ primæ animę virtutes ſunt,
ita iniuſtitia & ĩſcitia, prima teterrimáq;
animi vitia: imò verò iuſtitiã & ĩiuſtitiã,
nihil à ſalubribus & inſalubribus differre
putat. Nam vt hæc circa corpus, ſic circa
animum ſe habent & illa. Vt enim ſalu-
bria quidem ſanitatem inducunt & inſa-
lubria

lubria morbum, ſic iuſta agere iuſtitiam inducit in animo, iniuſta facere iniuſtitiam. Adde quòd ſicut ſanitatem inferre, eſt ita ea quæ in corpore ſunt diſponere, vt ſecundum naturæ ipſius ordinem inuicem ſuperentur & ſuperent. Morbum autem inducere, vſque adeò corporis partes inficere, vt contra naturæ legē dominentur inter ſe ſubiiciantúrque: eadem ratione iuſtitiam pręſtare cuiquam, nihil eſt aliud, quàm animi partes in ordinem ſuum digerere, vt ad naturę ſuæ normam pareant & imperent. Iniuſtitiam verò, vt contra naturam exuperent inuicem ac ſuccumbāt. Ex quo apparet virtutem ſanitatem quandam & pulchritudinem, & robuſtum animi vigorem eſſe: prauitatē contrà, morbum, turpitudinēq; & imbecillitatem. Quod his verbis ita concludit de Repub. Plato differens, vel Iuſto. ἀρετὴ μὲν ἄρα, ὡς ἔοικεν, ὑγεία τέ τις ἂν εἴη, καὶ κάλλος καὶ εὐεξία ψυχῆς. κακία δὲ νόσος τε καὶ αἶσχος καὶ ἀσθενεία. Ex his igitur vides quàm exquiſitè nouerit Plato iniuſtitiæ ignorantięque turpitudinem: pulchri au-

tem iuſti & boni ſplendorem & excellen-
tiam: qui vt magis turpe ignobiléque vi-
Plato in ſympoſ. tium animæ redderet: pulchrum ipſum
quod ei oppoſitum eſt, his verbis doctè e-
legantérque deſcripſit. ἀλλὰ θεᾶσθαι μόνον
καὶ ξυνεῖναι. τί δῆτα, ἔφη, οἰόμεθα, εἴ τῳ γένοιτο αὐ-
τὸ τὸ καλὸν ἰδεῖν εἰλικρινὲς, καθαρὸν, ἄμικτον,
ἀλλὰ μὴ ἀνάπλεων σαρκῶν τε ἀνθρωπίνων καὶ
χρωμάτων, καὶ ἄλλης πολλῆς φλυαρίας θνητῆς,
ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ θεῖον καλὸν, δύναιτο μονοειδὲς κατι-
δεῖν, ἆρ᾽ οἴει ἔφη, φαῦλον βίον γίγνεσθαι ἐκεῖσε
βλέποντος ἀνθρώπου, καὶ ἐκεῖνο ὃ δεῖ θεωμένου
καὶ ξυνόντος αὐτῷ; ἢ οὐκ ἐνθυμῇ ἔφη, ὅτι ἐνταῦ-
θα αὐτῷ μοναχοῦ γενήσεται ὁρῶντι ᾧ ὁρατὸν τὸ
καλὸν, τίκτειν οὐκ εἴδωλα ἀρετῆς. ἅτε οὐκ εἰδώλῳ
ἐφαπτομένῳ, ἀλλ᾽ ἀληθῆ, ἅτε τοῦ ἀληθοῦς ἐφαπ-
τομένῳ; τεκόντι δὲ ἀρετὴν ἀληθῆ, καὶ θρεψαμένῳ,
ὑπάρχει θεοφιλεῖ γίγνεσθαι, καὶ ὑπέρ τῳ ἄλλῳ
ἀνθρώπῳ ἀθανάτῳ καὶ ἐκείνῳ. Quàm fœlix,
inquit, illud ſpectaculum fore putamus,
ſi cui datum fuerit, vt ipſum pulchrū in-
tueatur, ſyncerum, integrum, purū, ſim-
plex, nihilque ſibi habens concretum ac
admixtum, & idcirco non humanis car-
nibus, aut coloribus, non aliis mortali-
bus nugis contaminatum, ſed ipſum ſe-
cun-

cũdùm ſepulchrum, diuinum inſpiciat, vitámne eius hominis parui facis, qui illud ſuſpicit, qui tam præclarum ſpectaculum contuetur, illíque cohęret? Nonne cogitas quòd ibi ſolùm cernens ille eo oculo pulchrum, quo percipi poteſt, non iam virtutis imagines vlterius, ſed virtutes quoque ipſas pariet? Non enim ſimulachrum ipſum, ſed rem ipſam attingit, virtutem ergo verã pariens alénſque, Deo amicus efficietur, & ſi quis alius hominum, is maximè immortalis exiſtet. Hæc de amore rerum omnium pulcherrimo loquitur Plato, quod certè ad virtutis pulchritudinem trahi poteſt: quæ ſi humanis oculis, vt Cicero ait, videri poſset, incredibilem ſuiipſius amorem nobis excitaret. Quid ergo fiet vitio, quod tam turpe, támque difforme eſt? Cuius turpitudo, ex pulchri deſcriptione facile colligi poteſt. Multa alia in hanc rem ex Platone adduci poſſent, ſed hæc plura, maioráque ſunt, quàm vt his Epicurei vel Athei reſpondere poſsint.

Quòd vt pulchris animis præmia, ita turpibus vitioſiſque ſupplicia aſsignet Plato.

CAP. V.

ILlud quoque prætereundum non eſt, quòd Plato, vt pulchris ſtudioſiſque animis præmia, ita turpibus vitioſiſque aſsignat ſupplicia. Multa enim in Phædone & Gorgia de iudicibus, nudas animas iudicantibus proponit, multa ex illo rediuiuo milite refert, quem confirmat renarraſſe quoſdam ſe vidiſſe iudicatos in ſupernum cœli locum, tanquam ab omni iniuſtitia alienos, iuiſſe, iniuſtos verò ad læuam inferius deflexiſſe, οὓς ἐπειδὴν διαδικάσειαν τοὺς μὲν δικαίους κελεύειν πορεύεσθαι τὴν εἰς δεξιάν τε καὶ ἄνω διὰ τοῦ οὐρανοῦ &c. inter quos Aridæum tyrannum, homicidámque hominem cognouit, vidítque eum cum multis aliis, ligatis manibus modis miſerabilibus torqueri, aſtantibus illic quibuſdam trucibus atq; igneis hominibus, aſpectantibúſque quid os illud inferorum patefactum loqueretur. Quæ nimi-

nimirũ non multum remota ſunt à Chriſtiana veritate. Nam quibus, præcor, in illa diuina cœna, cæleſtibúſque vnigeniti filij ſui nuptiis, dicturus eſt vniuerſi orbis adminiſtrator, maximúſque Paterfamilias Deus, ligatis manibus & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores, niſi agreſtibus illis, igneíſq; viris, id eſt feris, horribilibúſque dæmonibus? Idem quoque Plato Deum nihil latere dicit, neminémque eius iuſtitiam diffugere poſſe. Vos, inquit, qui Deos humana minimè curare putatis, ſic habetote, nullum locũ Diis immortalibus incognitum, nullum inexploratum eſſe. Quod ſiue hîc manſeritis, ſiue profundiſſimas terræ cauernas ſubieritis, ſiue aliud quoduis diffugium atque latibulum quæſieritis, haudquaquã latere diuinum illum atque peruigilem oculum, pœnáſque vobis iuſtè debitas euitare poteritis. Conſonat id quod dicit Plato, verſibus illis Dauidicis.

Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?

Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcẽ-

dero in infernum ades.

Idem clariùs & longè paucioribus verbis, piis præmia, impiis verò ſupplicia aſſignat, in decimo de Legibus. Cùm, ĩquit, anima ſe virtute quadam diuina exornauerit, etiam locum excellẽtem, ſanctúmque cum melioribus locis, regniſque cõmutabit. Si id non præſtiterit, in contraria proficiſcetur. Mali enim, vt ait, redditurі ſunt rationem formidabilem, tremẽdam, horribilem: boni verò cum magna fiducia, θαῤῥαλέον, conſtanter, intrepide, nullo mordicante diuerberantéque conſcientiam ſuam ſcelere. Quocirca, inquit, propinqui affinéſque monere ſuos debẽt, vt rectè viuãt, hócque eis præſtare patrocinium, quod nullum illîc iam poterunt offerre. Non enim ante tribunal aderit propinquorum domeſticorúmque caterua qui te tueantur, quíque iudicem exorẽt, vt tibi ignoſcat. Locum autem in quẽ *In Phædro.* præcipitandi ſunt impij, tenebras ſubterraneas vocat, Chriſtus Ieſus nunc gehennam, nunc infernum, nunc quoque tenebras exteriores appellat, locúmque vbi erit fletus & ſtridor dentiũ. Sic enim ſcribit

bit Plato, εἰς γὰρ σκότον καὶ τὴν ὑπὸ γῆς πορείαν, οὐ νόμος ἐστὶν ἔτι ἐλθεῖν τοῖς κατηργμένοις ἤδη τῆς ἐπουρανίας πορείας. Loquitur autem de hiis qui per amorem recipiunt amiſſas alas, præmium ingens aſſecuturis ſimul atque venerint in patriam cœleſtem. Quò vbi venerint, nulla lex permittet, vt ad tenebras ſubterreneas proficiſcãtur. Porró locum eũdem, id eſt, vt ipſe ſcribit, τὸ τῆς τίσεώς τε καὶ δίκης δεσμωτήριον, tartarũ in Gorgia vocat, vbi dicit eam fuiſſe ſub Saturno Deorũ maximo legem, eámque ſemper vigere apud Deos, vt qui piè ſanctéque vitam tranſegiſſent, ad beatas inſulas poſt hanc vitam proficiſcerentur, vbi beatè victuri eſſent, nulla, beatitudinẽ interpellante, aut obturbante malorum acceſſione. Qui verò ſceleratè impiéque vixiſſent, in pœnarum, vindictæque carcerem, quem tartarum vocant, truderentur καὶ ἀεὶ καὶ νῦν ἔτι ἐστὶν ἐν θεοῖς, τῶν ἀνθρώπων, τὸν μὲν δικαίως τὸν βίον διελθόντα, καὶ ὁσίως, ἐπειδὰν τελευτήσῃ εἰς μακάρων νήσους ἀπιόντα οἰκεῖν ἐν πάσῃ εὐδαιμονίᾳ ἐκτὸς κακῶν, τὸν δὲ ἀδίκως καὶ ἀθέως εἰς τὸ τῆς τίσεώς τε καὶ δίκης δεσμωτήριον, ὃ δὴ τάρταρον καλοῦσιν, ἰέναι.

Hæc Plato. Quæ tamen omnia rident Epicurei, ridẽt quoque homines athei, nec id quidem mirũ, cum ipſius quoque virtutis veræque iuſtitiæ, id eſt, Chriſti Ieſu ſacra ſancita, inexpugnabiliáque oracula nihili faciant. Sed fortaſſe obiiciãt nobis incõſtanter de hac re ſcripſiſſe Platonem, cùm in Phædone vitioſos turpéſq; animos corporeis vinculis ſolutos, abire dicat in aſinorum, vel miluorum, ſiue aliorum animalium corpora. His igitur vt reſpõdeamus, quur id dixerit Plato, paucis attingemus.

Quur Plato turpes vitioſóſque animos in brutorum corpora abire confinxerit.

CAP. VI.

CErtum eſt Platonem in Phædone ſcripſiſſe decens rationíque conſentaneum eſſe, eos animos, qui ventri per inertiam atque laſciuiam dediti, vitã egiſſent, neque quidquam penſi, nullámque honeſti rationẽ vnquam habuiſſent,

aſinos,

aſinos, ſimiliáque bruta ſubire. Qui verò tyrannides, rapinas, præ cæteris ſequuti eſſent, in luporum, accipitrum, miluorũ genera par eſſe eos trãſire, abiréque in ea animantiũ genera, quibus mores ſimiles habuiſſent in vita. Fuit prætereа Platonis ſententia animam, ſi ex hoc loco intemerata ac virtute prædita abiret, ſe ſe in locũ ſupernæ immortalitatis recepturam, vbi fœlix & diuinitatis compos eſſet victura: Si vero impurè impiéque vixiſſet, pœnas daturam Deo. Pœnis autẽ delegata ſunt, inquit, loca hæc naturæ inferiora, atq; ipſa etiã hominũ corpora. Itaque redit anima quæ ſede illa ſuperiore digna non eſt, ad generationis labem, corpúſque aliud induit, vt vita altera melius agat, quo poſſit Deorum ſedem, vnde profecta eſt, purificata repetere. De beluarum autẽ corporibus, reliquiſq; huiuſmodi (vt de hoc exquiſitè diſſeruit Beſſario Nicænus Cardinalis) non modò à Platone, ſed etiam à Timæo deterrẽdi cauſa vulgò proditum fuit, vt ſcilicet homines pœnarum eiuſcemodi formidine, à vitiis, iniquioréque vi

uendi modo abſterrerentur, quod apertè Timæus ait in eo libro, quem De mundo & anima ſcripſit, quē poſtea imitatus eſt Plato. Cùm enim expoſuiſſet, quomodo anima bonis moribus inſtitueretur, addit. Pertinacibus autem, proteruis & obduratis ſupplicia adhibeantur à legibus, ac etiam timor vitæ futuræ à ſermone qui perterreat, pœnis ſuperis, inferíſque grauiſsimis, & indeprecabilibus, niſi virtutem coluerint, & quod honeſtum eſt fuerint ſecuti. Vt enim corpora interdum ægrota inſalubri aliquo cibo, ſiue medicamento priſtinæ valetudini reſtituimus, ſi primò ſalubribus rebus exhibitis nō benè ceſsit: ſic animos ſæpenumero coercemus, retinemúſque falſo ſermone. Si verò minùs obtemperant, hoc quidem in loco neceſſaria eſſe video pœnarum genera quædam inaudita, vtputa vitioſas animas varia pro vitiorum ratione, inducere corpora, & timidi hominis animam, muliebri corpori tradi, turpiſsimi dedecoris gratià: homicidæ, ferino, ad ærumnas & cruciatus: ſalacis, ſuillo: leuis atque ſuperbi,

bi, volucri: ocioſi & ignaui, aquatili. Hæc Timæi verba ſunt, quibus perſpicuè oſtēdit rem inauditam fingi ad hominum vtilitatem, vt metu perculſi, abſtineāt à vitiis, incumbántque virtuti. Aduerte autem quòd ſi iuxta Platonis ſententiam, hominis anima bruti etiā corpus induat, non propterea eū fuiſſe opinatum ex materia & hominis anima, brutum conſtitui, ſed animam, corpus alienum ſubire, inſinuarique & coniungi animæ ſenſitiuæ bruti, imaginario quodā ſpiritu: atque ita coërcitam plecti, & pœnam pendere ſcelerum, nec vllum opus ſuum exercere poſſe inſtrumētis eius animātis, in quod detruſa eſt: tantiſper autem illîc pœnas pendere, donec longo temporis curriculo purificata, ad cœleſtem demum digna redeat ſedem. Plutarchus alterius expiationis meminit, πᾶσαν, inquit, ψυχὴν ἄνουν τε καὶ σὺν νῷ σώματος ἐκπεσοῦσαν, εἱμαρμένον ἐστὶ τὸν μεταξὺ γῆς καὶ σελήνης χωρείῳ πλανηθῆναι χρόνον οὐκ ἴσον. Omnem, inquit, animam, ſiue demētem, ſiue mentis rationíſque compotem, ſimulátque corpore ſolu-

ta eſt, fato decretum eſt errare in loco qui eſt inter lunam & terram, non æquali tempore: Nam iniuſtæ, immoderatæque & intemperantes, ſcelerum pœnas perſoluunt: bonas autem oportet in amœniſſimo aëris eſſe loco, quem inferorum prata dicunt, certo tempore, quoad expiatæ corpore, quod omnis mali cauſa fuit, ad diuinam gentem redeant, in patriámque ſuã velut poſtliminio reportatæ, gaudiis perfruãtur. Sed ad Platonis expiationem redeuntes, hanc certè, quam proximè diximus pœnam, haud ineptè cum Beſſarione putamus cæteris illis adiungẽdam, quas apud inferos eſſe memorat Plato, ignes dico illos tartareos, fluuios flammiferos, luctificos, triſtifluos quos ille Pyriphlegethõtas, Cocytos, Acherontas vocat. Eorum tamen inſaniam execramur, qui propter illam expiationem animæ, quam in beluarum corporibus fieri confinxit Plato, putant eodẽ immortales aſſertas brutorũ animas. Non enim (vt pulchrè in aduerſarium ſuum, idipſum ſentientem, ſcribit Beſſario, ſatis intelligunt,

aut

aut ſe haud intelligere ſimulant, quomodo Plato animarum genera diſtribuerit, & animę nomen acceperit. Ille enim, etſi eodem nomine tam bruti quàm hominis animam ſæpenumero vocet, de hominis tamen vniuocè, de bruti verò anima, æquiuoce loquitur, ſed neque id quo viuunt bruta animas dici brutorum vult, ſed vitas & ſimulachra animarum. Animæ autem triplex genus eſſe conſtituit, cœleſte, geniale, humanum. Primo generi omnium rerum ſcientiam tribuit, quod in cœleſtibus locat. Secundo, opinionem rectam, quod in geniis. Dæmones enim hoc nomine latini vocant. Tertio generi, ancipitem opinionem, quæ partim rectè, partim non rectè habetur, aſſignat, id hominibus præſcribit. Hoc igitur modo nomen animæ in propria ſignificatione diſtribuit. Brutorum animam, vt proxime dictum eſt, vitam quandam appellat, & metaphorice animã. Quapropter quãdo is animam omnẽ immortalem eſſe affirmat, nequaquã de brutis intelligit, quod ex ipſius verbis colligere poterimus. Ille

enim de anima ſenſitiua ,qualis brutorũ eſt,ita loquitur. Illi igitur ſuum imitati patrem,principiúmque animę ſuſcipientes,animam ipſam mortali corpore clauſerunt,totúmque corpus animę quaſi vehiculum ſubdidêre , atque in eo aliam animæ ſpeciem mortalem fabricauerunt.

In Timæo.

Dementes ergo ſunt qui ſenſitiuam animam immortalem opinati ſunt, à qua opinione longè remoti ſunt Epicurei & ἄθεοι homines, qui,tantùm abeſt, vt ſuam brutorúmque animam immortalem putent , vt cum brutis animantibus mortales quoq; ſeſe eſſe exiſtiment. Quod certè eos libenter commentari.confingeréque putauerim,vt liberiùs,ſecuriúſque viuant,nec quicquam habeant,quod omni mollitie,immunditiáque diffluentem reuocet animum. Quæ res etiam fecit, vt priùs animas ſuas morte condẽnare mallent , quàm torquendi venirent ad illius iudicis æqui conſpectum.Talis eſt impurorum , ſceleſtorúmque hominum genius.¶Quod & doctiſſimè confirmat Pythagoreus Hierocles his verbis, ὀυ βούλεται

του ὁ κακὸς ἀθάνατον εἶναι τὴν αὑτοῦ ψυχήν, ἵνα μὴ ὑπομένῃ τιμωρούμενος, καὶ φθάνει τὸν ἐκεῖ δικαστήν, θάνατον ἑαυτοῦ καταψηφισάμενος.

Cæterùm ad hanc Platonicam expiationem pertinet, quod dicitur in Phædro de illo annorum tertio ambitu, poſt quē animi, qui ſine dolo philoſophati ſunt, vel cū ſapientiæ ſtudio, virtutem omnem pulchritudinémque coluerunt, recuperatis alis, eodem reuolant abeuntes, vnde profecta eſt cuiuſque anima. Annis, inquit, decem millibus non reuertitur anima. Nam alas ante hoc ſpatium non recuperat, præter illius animā, qui philoſophatus eſt ſine dolo, vel vnà cum ſapientiæ ſtudio, pulchritudinē virtutémque omnē pro viribus amauit. Huiuſmodi igitur philoſophorū animę tertio ambitu mille annorum, ſi ter hanc ipſam deinceps elegerint vitam, recuperatis alis, poſt tria millia annorum abeuntes euolabunt. Aliæ verò animæ, primæ vitæ finem cōſecutæ, iudicātur, &c. Quæ omnia loquutus videtur Plato de eo qui amorem in officio ſynceræ philoſophię conſtituit. Ille enim *in Phæd.*

ſub Philoſophi, philoſophiæque nomine omnem hominum honeſtam & probam conditionem, cui amore poſſumus beneuolentiáque coniungi, intelligit, & pulchritudinem, venuſtatẽ, conuenientiam diuinam, ad cuius exẽplar homo formatus eſt, ſui animi oculis cernit, ac ex creaturis, vt beatus Paulus ait, ad rem inuiſibilem Dei intelligendam, contemplandámque reducitur. Oculorum enim in nobis eſt ſenſus acerrimus, quibus ſapiẽtiam non cernimus: Ah quàm illa ardentes amores ſui excitaret, ſi videretur! Hãc igitur pulcherrimam ſapientiæ formam, quæ oculis percipi nequit, mentis acie, & Philoſophiæ ſtudio, ſolertiáque indagandam, perſpiciendámque adhortatur Plato. Hunc amorem probat, & laudat, qui non ſenſibus naturæ inuolutus eſt, ſed ad excellentem iucundiſsimúmque Dei aſpectum aſpirat & tendit. Quòd autem ſic debeat hic locus intelligi, Diui Hierothei autoritate, teſtimonióq;, probat Beſſario Cardinalis Nicænus, doctiſsiméque mentem Platonis nobis aperit.

Rom.1.

Proclum

Proclum Platonis interpretem, idem cum illo ſuper vitiis, animorúmque turpitudine ſenſiſſe.

CAP. VII.

EX diuinis Platonis Philoſophi ſancitis ingenioſè colligit Proclus, animam per acquiſitam ſciētiam menti ſimilem fieri, ſimilem verò materiæ per ignorantiam. Quando enim ad corporeorum, concupiſcibiliúmque ſphæram deſcendit animus, fieri non poteſt, quin ob immoderatam concupiſcentiam, venenoſis poculis ineſcetur, adeò vt paucos reperias, qui non ſint eiuſmodi potionibus ebrij, quique obliuionis erroríſque & inſcitiæ pharmaco inſipientes, propéque dementes non ſint effecti. Quo fit vt terrenus hic locus, Circes ipſius diuerſoriū eſſe videatur, in quo multos (ſi vitæ eorū rationē expenderis) lupos videas, multos vultures, multos porcos, multos deniq; alia quadā bruti ſpecie circunfuſos. Quod Proclo minime mirum videtur, quia (vt inquit) non eſt naturale animis, vnà cum corporibus vitam degere, & in generatione

Procl. de ani. & demo.

ne

ne verſari. Sed contrà, ſeparata, immaterialíſque & incorporea vita, longè conuenientior longéque congruentior animis omnibus eſt. Quando igitur in generatione verſantur animi, ſimiles ſunt hominibus peſtilentem regionem inhabitantibus. Quando verò extra generationẽ viuunt, ſimiles ſunt, vt inquit Plato, prata colentibus. Quemadmodum igitur nõ eſt mirandum inter eos qui peſtifera loca incolunt, languere quamplurimos, paucisſimos verò naturalem valetudinem conſeruare, ſic nos minimè mirari debemus plurimas earũ animarum quæ in generatione poſitæ ſunt, vel prauas, vel multis paſſionibus obnoxias eſſe. Hæc Proclus. Cuius verba, quãtum ad generationem ſpectat, valde cõformia ſunt Chriſti Ieſu & Pauli verbis. Chriſtus enim beatos dicit eos, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Paulus quoque tribulationem carnis impendere putat ei, qui ſe vxori alligauit. Volo, inquit, vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt eorum quæ Domini ſunt,

Mat. 19.

Corint. 7.

quo-

quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt eorũ quę ſunt mũdi quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat quę Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quo modo placeat viro. Neuter tamen matrimonium, immaculatúmque thorum, rem admodum ſanctã & neceſſariam prohibet, ſed quod vtilius, honeſtius, expeditiúſque eſt, id faciundum cõſulit. Quod & clarè oſtendit Paulus ita ſcribens. Porrò, inquit, hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, ſed ad id quod honeſtũ eſt, & quod facultatẽ præbeat ſine impedimento Dominum obſecranti. Chriſtus præterea & Paulus, Apoſtolíque omnes volunt nos omnes à carnalibus deſideriis penitus alienos, ſoli Deo perpetuò affixos eſſe. *1. Corint. 7.*

Quod vt præſtemus, conſulit Proclus, idque peranxiè & diligenter. Omnes enim poſt Platonem, hortatur à multitudine ad vnum aſcendere per cõtemplationem. Multitudinem vocat quodcunq; nos im-

pedit, vt diuinam vnitatem, ſimpliciſſimámque veritatem conſequamur ac cõtemplemur. Multitudinem intellige exterioris, interiorísue populi nos multifariam diſtrahentis, atque fallentis, niſi affectuum, ſenſuum, imaginationum, opinionum multitudinẽ intelligere mauis, omniáque alia quæ animum noſtrum impediunt, quò minùs ad intellectum aſcẽdere poſſit, vt vnà cũ hoc, intelligibilem eſſentiam contemplemur: fit enim vt per intellectum noſtrum, diuinum tangamus, noſtrúmque vnum, vt ſic loquar, diuino maximè iungatur. Simile nanque à ſimili vbicunque comprehendi poteſt. Oportet ergo nos multitudinem omnem fugientes, in ipſam vnitatem noſtram cõfugere, vnúmque effici, & vniformiter agere, vt diuini per hanc efficiamur, in ipſúmque diuinum intellectum euadamus. Hæc Procli Theologia Chriſtianę Theologiæ valde conſentanea eſt. Quid enim aliud Chriſtus admonet in Euangelio, quàm vt relictis omnibus, quod certè fecit Petrus, fecit itidem Matthæus, fecerúntque

rúntque

rúntque omnes Apoſtoli, ſoli Deo nos ipſi deuoueamus, ab hoc ſolo pēdeamus, in hunc noſtra ſtudia, noſtras cogitationes, totúmque animum & mentem conuertamus. Adde quòd is patrem, matrē, vxorem, fratres, ſorores, omniáque quantumuis chara & precioſa, vt illi ſoli adhęreamus, eóque fruamur, à nobis vult derelinqui, imò verò oculos erui, manus abſcindi iubet, id eſt, longiùs à nobis proiici quæcunque ſingulariter diligimus, ſi tamen ea impedimento ſint, quò minùs animę ſalutem aſſequi poſſimus. Plus eſt, quod vult noſmet à nobis ipſis abnegari, corpus noſtrum duriter caſtigari, nihilíque non fieri, vt velut in mortuo, contemptóque corpore, magis magíſque aureus ille animus noſter effulgeſcat. Quò magis enim exterior ille homo corrumpitur, caſtigatur & domatur, tanto magis interior renouatur, & corroboratur. Adde quòd vbi id fit, ibi animus totus ad mentem conuertitur. Mens enim Dei ſpiritu imbuta, Chriſtum Ieſum induit, per quem animus vni diuino intel-

Nctui, id eſt, Deo coniunctus, vnum cum eo, veréque δαιμόνιος efficitur. Monet prę- terea Proclus, vt bonum in nobis ipſis, non foris petamus ſed vt hîc potiùs vnuſquiſque ſuiipſius cognitionem exordiatur. Socratem laudat, quòd longè à multitudinis conſpectu ſegregatum voluerit eſſe animum, cogniturũ quid reuera homo ſit. Opiniones præterea, contemplationis huius impediméta, redarguit. Multitudo nanque impedimento nobis eſt ad animi cõuerſionem in ſeipſum, atque ad vnius ſpeciei notitiam. Hîc enim varietas obumbrat vnum, alteritas obſcurat identitatem, diſſimilitudo obfuſcat ſimilitudinem. Nam circa materiam ſpecies ſunt cõfuſæ, & meliora deterioribus ſunt commiſta. Ex his omnibus vides quàm exquiſitè Proclus turpitudinis, ipſiúſque etiam pulchritudinis animi cauſas cognouerit, quámque doctè & ingenioſè Platonis mentem nobis aperuerit.

Vt pulchritudinis animi, ita & turpitudinis cognitionem habuiſſe Plotinum.

CAP. VIII.

Quia cõtrariorũ eadẽ eſt ſcientia, facile eſt ex illa immenſa animi pulchritudine, quam ex Plotino Platonis interprete ſuperiùs deſcripſimus illius quoque turpitudinem colligere: ita enim naturâ comparatum eſt, vt vtrunque contrariorum (ſi tamen ea ſimul iungantur vel conferãtur) alterius præſentia vel collatione, clariùs meliúſq; cognoſci & perſpici poſſit. Nos tamẽ quædã obiter tangemus, quæ is de vitij malique, id eſt, turpitudinis animi ratione, ſcripta nobis reliquit. Plotinus igitur, vt hîc incipiamus, ea quæ in primis bona eſſe cenſet, extra naturam omnem, id eſt ſimplicia eſſe, nihílque ſibi concretũ, nihílue admiſtum habere vult. Contrà, mali in ſe cauſam habere putat, quæcunque concreta ſunt, aliquídque materiæ ſibi admiſtum habent. Ergo boni naturam habere vult, *Ennead. 1 lib. 8. cap. 4.*

bonúmq; ſimpliciter eſſe hoc, à quo omnia pendẽt, quódue omnia appetunt, accipientia ab eo principium, eiúſque penitus indiga: ipſum verò nullius egenum: ipſum ſibi ſufficiens: nihil penitus appetens. Menſura enim omnium atque terminus eſt, ex ſeipſo producens intellectum, eſſentiam, animam, vitam: rurſus actionem circa intellectum. Huc vſq;, inquit, pulchra ſunt omnia: ipſum verò ſuper pulchrum, & ſuper ea quæ ſunt optima: in mundo regnans intelligibili, qui ſanè intellectus eſt, intellectus, inquã, non qualẽ quis forte putaret, exiſtimãs ſimilem eſſe horũ qui apud nos intellectus eſſe dicũtur. Intellectus enim ille non eſt talis, ſed habet omnia: eſt omnia, ſecum habitat, ſibi prorſus vnitus, habet cuncta non habens: nõ enim ea poſſidet tãquam alia, nec ipſe exiſtit alius: neque quæ ſunt in eo ſingula, ſegregantur à ſingulis, imò verò quodlibet eſt vniuerſum, & vbique totum: neque tamen confunduntur cuncta, ſed rurſus ſingula diſcernuntur. Hactenus boni pulchríque naturã graphicè

nobis

nobis depinxit Plotinus. Iam videndum eſt quomodo eiuſmodi boni pulchríque participatione, bonus pulchérq; animus efficiatur. Quòd ergo inquit, huius fit particeps, non ſimul omnia, ſed quod poteſt participat. Eſt item primus actus illius, primáque eſſentia, illo videlicet in ſeipſo manẽte. Agit ſanè circa illũ, tãquã circa illũ viuẽs. Proinde anima extrinſecus circa hũc ſe verſans, ipſum circũſpicit. Quinetiã intima eius inſpiciens, per ipſum videt & Deũ: atque hæc eſt illæſa fœlíxque, & à malis omnino ſemota Deorum vita. Quòd ſi hîc ſiſteret natura gradum, nuſquam foret malum. At verò ſunt prima bona, ſunt & ſecunda, ſunt quoque tertia: cunctáque circa regẽ vniuerſorum: ipſéq; rex bonorum omnium cauſa eſt, & illius gratia, omnia. Denique circa ſecundum ſecunda ſunt, & tertia circa tertium. Hæc Plotinus. Cuius poſtrema verba, Platonis mentẽ aperiunt, qui ſub trium regum nomine, Deum ipſum, id eſt, Patrem & filium & ſpiritum ſanctum intelligi voluit. In his autem primum regem, omniũ

Plot. Ennead. 1. lib. 8. cap. 2.

bonorum fontem cauſámque facit. Nunc pulchris omnibus, & pulchrorum omniũ fonte ipſo patefacto, excutienda eſt mali ratio. Plotinus naturam corporum, quã-tum eſt materiæ particeps, malũ quidem eſſe, & ſi non primum, habere tamen ſpeciem quandam, quamuis non veram, ſcribit. Priuatur, inquit, vita, mutuam infert inter corpora corruptionem, concuſsionémque ex ipſis inordinatam. Quin & impedimenta animæ ad actionem propriam affert. Pręterea perpetuo fluxu aufugit eſſentiam, idcóque obtinet ſecundũ mali gradum. Anima verò ſecundùm ſe mala non eſt, neque omnis anima praua. Praua enim ea dũtaxat eſt, quæ, vt inquit Plato, ſeruit illi, cui prauitas animæ naturaliter ineſſe poteſt: quaſi irrationalis animę ſpecies malũ ſubeat, immoderationẽ, exceſſúmque atq; defectum. Ex quibus intemperantia & timiditas, aliáque animæ prauitas, velut paſsiones inuoluntariæ, oriuntur. Ex quibus & opiniones falſæ, per quas bona vel mala quis putet, quę proſequitur aut fugit. Cùm ergo prauitatem

Ennead. 1. lib. 8. ca. 4.

tatem hãc, id eſt turpitudinem, deformitatémque ſibi inducat animus, nõ eſt veriſimile eum ita affectum extra materiã, & ſecundùm ſeipſum eſſe, ſed potius immoderatione miſtum, ornãtíſque & moderãtis ſpeciei expertem. In corpus enim materiam habens demergitur, atque vt ſcribit Triſmegiſtus, velut in cœnũ proſternitur. Corpus enim ſuum velut onus infeſtum tunc circunfert, non præſidens corpori, ſed ob ignorantiam ſubiugatus. Quòd ſi fortè vis rationalis prodire, officiúmque ſuum facere conetur, diſcernere prohibetur, perturbationibus obfuſcata, craſsíſque materiæ tenebris obruta, vtpote, quę annuẽdo prolabatur in materiam, & omnino non ad eſſentiam, ſed ad generationem ſpectet, cuius origo eſt natura materiæ, vſque adeò mala, vt illud etiam quod nondum eſt in ea, ſolum verò eam proſpicit, ſuo impleat malo. Cũ enim boni omnino ſit expers, imo verò boni ipſius priuatio, purúſq; defectus, nihil mirũ, ſi nihil quidquid quomodocúmq; attingit eam, illa ſtatim id ipſum ſibi ſimile

reddat. Perfecta igitur anima, vergénſq; ad mentem, ſemper pura eſt, ſed & illa procul à ſe materiam eliminans, omne interminatũ, & immoderatum, malúmque refugit, neque huic propinquat, neque proſpicit quidem. Quamobrem pura permanet, intellectu prorſus determinata. Ecce tibi ſuper boni & mali, id eſt, animi pulchritudine & turpitudine, Plotini philoſophia, quam ſi cum Chriſtiana doctrina conferre libuerit, quid aliud eſt caro illa, quam Chriſtus Ieſus infirmã vocat, quid porrò concupiſcentia, quid lex mortis vel peccati, quid denique malum illud inteſtinum, quod perpetuò in ſuis membris ſentiebat Paulus, quàm hæc materia, quam omnis boni expertem vocat Plotinus? Hanc ſanè Plotini de bono malóque diſputationem, aliis tamen verbis explicare videtur Paulus, quando ita ad Galatas ſcribit. Spiritu ambulate, & deſi-
Galat. 5. deria carnis non perficietis. Caro enim cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis,

vultis, illa faciatis. Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Non eſt enim lex illis neceſſaria, qui ſe penitus à carne abſtraxerunt, ſéque totos deo addixerunt. Poſt hęc pernicioſa opera, effectáque carnis, id eſt, materiæ, malorum omnium fomitis, cuius meminit Plotinus, recenſet Paulus in hæc verba. Manifeſta ſunt inquit, opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prędico vobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Fructus verò ſpiritus, id eſt eius animæ vergentis ad mentem, quam perfectam, ſempérque puram vocat Plotinus, ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Aduerſus huiuſcemodi non eſt lex. Hæc Paulus. Sed qui ſunt hi, qui ad tam fœlicis beatæque vitæ ſtatum perueniũt? *Ibidem.*

Qui Chriſti ſunt, id eſt, qui ſpoliato vetere homine, aut, ſi cũ Plotino loqui maluis, qui procul à ſe eliminata malorum omnium cauſa, materia, nouum hominem induerunt, carnémque cum ſuis concupiſcentiis crucifixerunt. Sed de his hactenus. Nunc inſtituti noſtri ordo poſtulat, vt excuſsis Proclo & Plotino, Platonis interpretibus, ad Ariſtotelem Peripateticorum principem veniamus.

Aeque animi vitium atque virtutem, Ariſtotelem intellexiſſe.

CAP. IX.

PLatonem ſequutus Ariſtoteles mihi primùm videtur ſapiẽter perſpexiſſe humanæ naturæ corruptionem, tantáq; hominis à labore ad libidiné, procliuitatẽ, non niſi à cõtinua eius mutatione proficiſci. Fieri enim non poteſt, vt ea natura quę mutatione indiget, ſimplex & recta ſit, vt idẽ ſcribit in calce libri ſeptimi

Ethic. 7. Ethicorum. μεταβολὴ δὲ πάντων γλυκύτατον κατὰ τὸν ποιητὴν διὰ πονηρίαν τινά. ὥσπερ γὰρ ἄνθρω-

ἄνθρωπος εὐμετάβολος ὁ πονηρὸς, καὶ ἡ φύσις ἡ δεομένη μεταβολῆς. οὐ γὰρ ἁπλῆ οὐδ᾽ ἐπιεικής. Huic autem mutationi obnoxia eſt non ſolùm corporis, ſed animi quoque natura, vt Pato in ſuo ſympoſio his verbis teſtatur. Enimuero, inquit, eo ipſo tempore, quo animalium vnumquodque viuere dicitur, idémque eſſe, vt à pueritia ad ſenectutem, quanuis idem dicatur, nunquam tamen in ſeipſo eadem cõtinet: ſed nouum ſemper efficitur, & vetera exuit, ſecundùm pilos, carnem, oſſa ac ſanguinem, & vniuerſum corpus. Neque in corpore ſolùm, verum etiam in anima id cõtingit. Mores, cõſuetudines, opiniones, cupidines, volúptates, dolores, atque timores cõtinuè permutantur, neq; quidquam ex iſtis idẽ & ſimile perſeuerat, ſed priora quidem abolentur, noua verò ſuccedunt. Quinetiam quod mirabilius eſt, ſcientiæ quoque non ſolùm aliæ euaneſcunt, aliæ ſurgunt, neque ſemper ſecundùm ſcientias iidem ſumus, verumetiam vnaquæuis ſciẽtiarũ idem patitur. Quod enim dicitur meditari, quaſi exierit, ſcië-

tia dicitur. Obliuio nanque ſcientiæ exitus eſt: meditatio verò nouam memoriã ſemper abeuntis loco reſtituens, ſciẽtiam ſeruat, vt eſſe eadem videatur. Huc vſque Plato. Quî fieri ergo poteſt, vt in tanta corporis, animíque mutatione, humana natura ſimplex ac recta eſſe poſſit? In hac autem mutatione, quia nulla eadem res nos ſemper delectat, quòd natura noſtra minimè ſimplex ſit, ſed habeat in ſe quiddam admiſtum, diſpar ſui, ac diſſimile, quo eam interire neceſſe ſit, fieri non poteſt, quin ſæpius voluptatem dolor comitetur: atque eò quidem frequentius quò circa eadem, nempe voluptatem, vel dolorem, virtutes vitiáque conſtantiùs verſantur. περὶ ἡδονὰς γὰρ, inquit, καὶ λύπας
Ethic. 2. ἐστὶν ἡ ἠθικὴ ἀρετή. διὰ μὲν γὰρ τὴν ἡδονὴν, τὰ φαῦλα πράττομεν, διὰ δὲ τὴν λύπην, τῶν καλῶν ἀπεχόμεθα. Hoc eſt, virtus moralis ac voluntaria omnis, inhæret voluptatibus, & doloribus. Nam & voluptatum blãditiis deliniti, ad ea gerenda omnia quæ praua ſunt, impellimur & dolorum cùm admouentur faces, à rectè factis deducimur.

Quare

Quare iuxta Platonis ſententiam, inſtitutos omnes eſſe oportet iam inde à puero, vt lætentur bonis rebus, doleántque contrariis. In omni autem negotio maximè vitandam voluptatem docet, dandámque operam, vt ne hac corrupti, de rebus malè iudicemus. Quocirca quo animo ſenes illi erga Helenam affecti fuerunt, eodem nos eſſe debemus erga voluptatem, ad omnémque rationem illorum vox accommodanda eſt. Sic enim dimiſſa illa & abiecta, minùs aberrabimus. In hoc autem idcirco diligenter incumbere debemus, quòd facta noſtra omnia, omnéſq; noſtras actiones, vel dolore, vel voluptate dirigamus. Potius autem voluptate, quàm dolore. Nam cúm tria ſint quæ ſequimur, honeſtum, vtile, iucundum, & tria, quæ ſuperioribus ſunt contraria, quæ declinamus, turpe, inutile, moleſtum, in quibus omnibus vir bonus rectè ſe gerit, & improbus præpoſterè, certa didicimus experientia, id maximè fieri in voluptatibus. Siquidem commune eſt omnium animantium ingenium, Ethico. 2.

vt ea omnia ſequantur, quæ cadunt ſub appetitionem. Cadunt autem ea omnia quæ iucunda ſunt, ſub appetitionẽ, & ad quæ nos ducit vnà nobiſcum iam inde ab incunabulis educata voluptas, adeò vt difficile ſit hãc perturbationem euellere, vt quę penitus in vita implicata inſideat: ſed nec minus quidem difficile eſt eidem reluctari. Difficiliùs enim, ait Heraclitus, voluptati obſtabis, quàm iracundiæ.

Ex hac voluptate proficiſcitur maxima animæ turpitudo, intemperantia, quæ ſi in tactu ſit, id eſt, in eſculentis, poculentis in rebúſque, quæ venereæ nominãtur, & quę ſeruos brutóſque homines efficiunt, iure vt probrũ maximum nobis obiectabitur, quòd eo ſenſu, non iam vt homines ſed vt bruta animalia, quę natura vẽtri obediẽtia finxit, vtamur. Talibus enim delectari, eáque adamare, beluarum eſt. Neque verò hanc deformitatẽ ſolùm in hominis animo inducit voluptas, ſed impotentiam quoque, quæ cùm iudicium peruertat, eorúmque principiorum errorem inducat, vnde actiones & officia proficiſcuntur,

Ethic.3.

antur, magnas animo tenebras indu-
it, omnémque euertit iuſtæ rectęque
itæ modum. Ab hac enim vitioſi habi-
is plærunque naſcũtur, propterea quòd
a quis ſequatur aut caueat, vel quæ fa-
ienda non ſunt vel cauenda, omniáque
liter perficiat, atque ratio ipſa prçſcribit.
Quæ ſi aliquando ad iniuſtitiam ho-
ninem adduxerit, eúmque ita anima-
it, vt rapiat, furetur, humanáque &
iuina iura peruertat, quo rem ſuam fa-
iat, eáque ſibi comparet ac habeat, qui-
us liberius, indulgentiúſque, ac ex ani-
ni ſententia viuat, nullam turpiorem in-
amiæ notam animo ſuo inurere quiſquã
nquam poterit. Turpiſsimũ autem ſce-
eratiſſimúmque hominem efficiet, ſi eũ
ta compoſuerit, vt is malitiam ſuam, nõ
d ſuam modò, ſed ad amicorum quoque
erniciem, exitiúmque conuertat. Vt e-
im optimus is eſt qui virtutem, non ad
uam tantùm, ſed ad alterius quoque vti- *Ethic.5.*
itatem refert, ita ſceleratiſſimus haben-
lus eſt, qui omnes ſuos conatus, omniá-
que molimina, non ad ſuam tantùm, ſed

aliorum quoque perditionem conuertit: quales propè innumeros legimus, qui ſibi ſuíſque exitium male viuendo, maléque imperando, procurarunt. Porrò dolor, ex quo etiam velut ex altero fonte proficiſcitur omnis vitij, virtutíſque ratio, multas in animo deformitates ingenerat, naturámque eius, in quo eſt, à ſuo ſtatu dimouere, ac labefactare ſolet. Exemplo nobis erunt molles & delicati, timidíque, & anguſti paruíque animi homines. In quorum etiam numero conſcribendi ſunt hi, qui mortem ſibiipſis conſciſcunt, fugientes vel inopiam, vel amorē, vel moleſtiā.

Ethic. 3.

τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα, καὶ οὐχ ὅτι καλὸν ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγειν κακόν. Mortem, inquit, ſibiipſi conſciſcere, fugientem vel inopiam, vel amorem, vel moleſtiam fortis animi magníque non eſt, ſed anguſti potiùs & timidi. Nam quæ laborem, ſolicitudinémque deſiderant, ea fugere, nec quia honeſtum eſt id ferre, ſed ea fugere, ne malum habeas, mollis eſt animi atque

effœ-

effœminati. In his ergo duobus verſatur, híſque adhæret moralis virtus, quæ ſingularis animi eſt pulchritudo. Eſt autem virtus habitus animi iudicio ſuſceptus, in mediocritate poſitus, ea quæ nos attingit ratione ſic rectus, vt prudens præſcripſerit. Habitum virtutem vocat, non facultatem, non perturbationem: quia facultas id in animo eſt, quo ad perturbationes accipiendas apti ſumus, id eſt, per quod vel iraſci, vel dolere, vel miſereri poſſumus. Perturbationem appellat Ariſtot. horum quodlibet, cupiditatem, irã, excandeſcentiam, timorem, audaciam, inuidiam, gaudium, amicitiam, odium, deſiderium, æmulationem, miſericordiã, & omnino ea omnia quæ vel voluptas cõſequitur vel dolor. Hæ autẽ perturbationes nec virtutes ſunt nec vitia, propterea quòd ex ꝑturbationibus nec probi nec improbi nominamur: ex virtutibus autem & vitiis nominamur: quòd præterea perturbationes nobis nec laudi dẽtur, nec vitio. Nec enim qui timet, laudatur, Ethic. 2.

aut qui iraſcitur, nec qui omnino iraſcitur, vituperatur, ſed qui certo quodam modo. Non ſic verò de virtutibus & vitiis dicendum. Nam propter virtutes & vitia, iure laudamur aut vituperamur. Iã iraſcimur & timemus inconſulto, virtutes aut ipſa cõſilia ſunt, aut res geſtæ conſilio. Ad hæc, perturbationibus moueri dicimur, virtutibus & vitiis non moueri, ſed quodam modo affici dicimur: ob eáſque cauſas ne facultates quidem ſunt. Neque enim boni vel mali dicimur, quòd omnino agere poſsimus, vel laudamur vel vituperamur. Præterea facultate præditi ſumus, naturâ, boni: vel improbi non ſumus. Non enim à natura neque contra naturam in nobis inſunt virtutes, ſed nati factíque ſumus ad eas præcipiendas naturâ, & efficiendas conſuetudine. Quanquam non inficiatur Ariſtoteles omnibus à natura quodã modo tributas eas oẽs virtutes, quæ à moribus procreãtur. Naturâ enim, & iuſti & fortes gignimur, reliquarúmq; virtutũ ſemina, ſimulátque in lucem editi ſumus, continentur

Ethico. 6.

nentur in nobis. πᾶσι γὰρ τἆλλα δοκεῖ ἕκαστα τῶν ἠθῶν ὑπάρχειν φύσει πῶς; καὶ γὰρ δίκαιοι καὶ σωφρονικὸς, καὶ ἀνδρεῖοι, καὶ τἆλλα ἔχομεν εὐθὺς ἐκ γενετῆς, inquit illle. Quid ergo aliud erit virtus, quàm habitus quo vel probè vel malè affecti ſumus, cùm nec perturbatio nec facultas animi ſit. Virtus ergo quę volũtate ac more ſuſcipitur, quæue in perturbationibus, actionibúſque conſiſtit, in quibus & nimium & parum in vitio eſt, aurea mediocritas erit in laude & rectè factis: cui ſi ſapientiæ lumen acceſſerit, iam magna erit in actione diſtinctio, habitúſque ſimilis, tum denique eadem actio virtutis nomen proprie veréque obtinebit. Quocirca quemadmodũ vis duplex eſt eius in qua ſedes eſt opinionis, nempe ingenium & prudentia: ſic eſt duplex in ea quæ ſedes eſt moris & voluntatis, virtus nempe ingenita, & vera virtus: quarum quæ propriè virtus vocatur, eſſe ſine prudentia nullo modo poteſt. Itaque omnes virtutes prudentiæ nomine appellat vt ſcribit idem Ariſtoteles: Quod tamen non omnino rectè dictum, nec ab

Ethico 2.

Ethico. 6.

ipſo quidem Socrate, putat, tametſi nullas virtutes ſine prudentia eſſe exiſtimet: Omnem enim virtutis habitum prudentia dirigi vult, quod ita accipiendum cenſet, vt non ſolùm in eo habitu virtus ſit, qui prudentiæ ſit conſentaneus, ſed in eo potiùs, qui ſit cum recta ratione coniunctus: quaſi verò recta de his rebus ratio, iam nomen habeat prudẽtiæ. Nam quòd Socrates virtutes omnes rationes putauerit, id factum eſt, quòd in ſcientia omnes poneret: at eas omnes Ariſtoteles cum ratione copulauit. Ergo ex his omnibus perſpicuum euadit, nec ſine prudentia quenquam veræ probitatis, nec ſine virtute quæ more perficitur, prudentiæ nomen obtinere poſſe. Quæ qui obtinuerit, illud certè iuxta Ariſtotelis ſententiam obtinuerit, quod optimum, quod
Ethico. 10. pulcherrimum, quod ſuauiſſimum ab animo verè beato obtineri potuerit.

Nam qui in eas vitæ beatæ actiones incubuerit, híſque animum ſuum excoluerit, ac Dei, rerúmque cœleſtium cogni tioni, contemplationíque totum ſe addixerit

xerit, is vitam ſuauiſsimam, beatiſsimámque vixerit. Quod his verbis idem Ariſtoteles poſt multa concludit, conſtantérque verum hoc eſſe atteſtatur. τὸ λεχθέντε πρότερον ἁρμόσει καὶ νῦν, τὸ γὰρ οἰκεῖον ἑκάστῳ τῇ φύσει, κράτιστον καὶ ἥδιστον ἐσθ᾽ ἑκάστῳ, καὶ τῷ ἀνθρώπῳ δὴ ὁ κατὰ τὸν νοῦν βίος, εἴπερ μάλιστα τοῦτο ἄνθρωπος, οὗτος ἄρα καὶ εὐδαιμονέστατος. Sed videamus quàm ab hac vita longè remotam impiorum vitam oſtendat Ariſtot. Ille enim eam omnis veræ voluptatis animi, omníſque amicitiæ, ex qua maxima ſuauitas percipitur, penitus expertem dicit. A ſe enim diſsident, inquit ille, impij, ſecúmque diſcordãt, & alia volunt, alia ſequuntur ritu impotentium. Quæ enim ſibiipſi bona ſtatuerunt, ea ipſa iis quæ iucunda ſunt, & quæ moleſta, anteponunt. In quibus rurſus quidã ſunt, qui propter timiditatem & ignauiam ab iis rebus gerendis recedunt, quas ipſi ſibi optimas eſſe decernunt. At qui multa & grauia ſcelera admiſerunt, improbitate victi, & ſe oderũt ipſi, & vitam fugiunt, mortémque ſibiipſi conſciſcunt.

Ethic.10.

Ethico.10.

Improbi etiam alios, quibus cum verſentur, requirũt, ſe fugiunt ipſi. Multa enim & grauia facinora recordantur, & alia eiuſdem generis, cùm ſoli ſunt, expectant: cùm ſunt cum aliis, obliuione obruunt. Et quoniam in iis nulla eſt cauſa cur diligantur, nulla eſt etiam in eis ratio diligendi ſui. Nec igitur ipſi ſecum vnà lætari poſſunt, nec dolere. Eorum enim animus à ſe ipſe diſsidet, ſecúmque ipſe diſcordat, aliáſque agitatus pœna ſcelerum, ſe dolet à quibuſdam rebus abſtinuiſſe, aliàs gaudet, atque pars altera huc trahit, & illuc altera, vt ſolent partes diſſoluti corporis. Qui ſi & dolere ſimul nõ poſſit, & lætari, at paulò poſt certè, & ſe moleſtè fert ex rebus aliquibus voluptatem cepiſſe, & ſibi eas vellet non fuiſſe voluptati. Eſt enim vita malorum plena pœnitentiæ. Quæ omnia meliùs elegantiúſque Græco ſermone idem Ariſtoteles exprimit, ídque in hunc modũ καὶ ὅτι ἡ ὑπερβολὴ τῆς φιλίας τῇ πρὸς ἑαυτὸν ὁμοιοῦται, φαίνεται δὲ τὰ εἰρημένα, καὶ τοῖς πολλοῖς ὑπάρχειν, καίπερ οὖσι φαύλοις. ἆρ' οὖν ᾗ ἀρέσκουσιν ἑαυ-

τοῖς

τοῖς καὶ ὑπολαμβάνουσιν ἐπιεικεῖς εἶναι, ταύτῃ μετέχουσιν αὐτῶν. ἐπεὶ τῶν γε κομιδῇ φαύλων καὶ ἀνοσιουργῶν, οὐδενὶ ταῦθ' ὑπάρχει, ἀλλ' οὐδὲ φαίνεται, σχεδὸν δὲ οὐδὲ τοῖς φαύλοις, διαφέρονται γὰρ ἑαυτοῖς, καὶ ἑτέρων μὲν ἐπιθυμοῦσιν. ἄλλα δὲ βούλονται, οἷον οἱ ἀκρατεῖς, αἱροῦνται γὰρ ἀντὶ τῶν δοκούντων ἑαυτοῖς ἀγαθῶν εἶναι, τὰ ἡδέα βλαβερὰ ὄντα, οἱ δ' αὖ διὰ δειλίαν καὶ ἀργίαν ἀφίστανται τοῦ πράττειν, ἃ οἴονται ἑαυτοῖς βέλτιστα εἶναι. οἷς δὲ πολλὰ καὶ δεινὰ πέπρακται, καὶ διὰ τὴν μοχθηρίαν μισοῦνται καὶ φεύγουσι τὸ ζῆν, καὶ ἀναιροῦσιν ἑαυτούς. ζητοῦσί τε οἱ μοχθηροὶ μεθ' ὧν συνημερεύσουσιν, ἑαυτοὺς δὲ φεύγουσιν. ἀναμιμνήσκονται γὰρ πολλῶν καὶ δυσχερῶν, καὶ τοιαῦθ' ἕτερα, ἐλπίζουσι καθ' ἑαυτοὺς ὄντες, μεθ' ἑτέρων δὲ ὄντες ἐπιλανθάνονται, οὐθέν τε φιλητὸν ἔχοντες, οὐθὲν φιλικὸν πάσχουσι πρὸς ἑαυτούς. οὐδὲ δὴ συγχαίρουσιν οὐδὲ συναλγοῦσιν οἱ τοιοῦτοι ἑαυτοῖς. στασιάζει γὰρ αὐτῶν ἡ ψυχή, καὶ τὸ μὲν διὰ μοχθηρίαν ἀλγεῖ ἀπεχόμενός τινων, τὸ δ' ἥδεται, καὶ τὸ μὲν δεῦρο, τὸ δ' ἐκεῖσε ἕλκει ὥσπερ διασπῶντα. εἰ δὲ μὴ οἷόν τε, ἅμα λυπεῖσθαι καὶ ἥδεσθαι, ἀλλὰ μικρόν γε, λυπεῖται ὅτι ἥδεται, καὶ οὐκ ἂν ἐβούλετο ἡδέα ταῦτα γενέσθαι αὐτῷ. μεταμελείας γὰρ οἱ φαῦλοι γέμουσιν. His verbis tibi affabrè depictam vides miſerabilem im-

Epicureorum hæreſim multis confirmari, quæ nonnulli perperam tribuunt Ariſtoteli.

CAP. X.

QVamuis Epicureorum ſectaſit earum omnium ſectarum, quæ à veritate aberrant, vel pernicioſiſsima, habet tamen quædam ex Ariſtotele, quibus ſe fulcire, confirmaréque conatur. Dicit enim Philoſophorum omnium facile principem Ariſtotelem, ἄθεον fuiſſe, vtque id probet, refert eo nomine reprehēſos ab Ariſtotele Parmenidem & Meliſſum, quòd infinitum, ingenitum, incorruptibiléque principium ponerent. Sed reuera non intelligunt viros illos de rebus intelligibilibus ac diuinis, & de primo principio, veréque ente, theologicè loquutos: Et idcirco ab eius rei ignorante Ariſtotele reprehenſos, quòd eos putaret de rebus naturalibus illud ipſum quod ſcripſiſſent, intellexiſſe. Hoc autem ex eo facile coniici poteſt, quod idem Ariſtote-

les multis in locis de Deo clarè apertéq; loquutus eſt, vt mox dicturi ſumus. Dicit præterea hæc execrabilis Epicureorum cohors, Ariſtotelem, mortalem animam poſuiſſe, hominis arbitrium & rationē, omniáq; fato ſubieciſſe, ipſam deniq; Dei prouidētiā penitus negaſſe, híſque omnibus quæ ſub cōcauo orbis lunæ ſunt, ſtoicam induxiſſe neceſsitatem. Quæ omnia profectò tam falſa ſunt, quàm quæ falſiſſima. Ad primum igitur venientes dicimus Ariſtotelē variis nominibus, in multis ſcriptorum ſuorum locis, Dei meminiſſe, eundem regem & Dominum rerum omnium cōfeſſum fuiſſe, magníſque laudibus extuliſſe. Ille enim, dum de cœlo loquitur, ſingularem Deum confitetur, quem non ſolùm motibus cœleſtibus, ſed omni quoque mundo præficit: eundem in Philoſophiæ compendio, vnum, ſingularémque, & ſolum moderatorem ordinum cœleſtium, vitęque omnis, confitetur. Ibidem quoque vnum cœli motorem, dominúmque totius vitæ conſtituit, cuius virtus & poteſtas omnia inuiſibi-

ſibiliter operetur, à quo velut à ſummo Deo, Dij minores eſſent facti. Eos laudat, qui rerum creationem menti tribuiſſent. De hac quoque eadem dicit, quæ & præceptor ſuus Plato. Rurſus in moralibus ſingularem Deum confitetur, quem & rerum humanarum proſpectorem facit. In Politicis verò legem Deũ, imperiúmque legis, eſſe imperium Dei affirmat. ὁ μὲν οὖν, inquit, τὸν νόμον κελεύων ἄρχειν, δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεόν Quicunque igitur legem iubet imperare, videtur iubere imperare Deum. Adde quòd virtutem, & qua ad Deum itur, pietatem maximè laudat, eandémque cunctis in Repub. rebus præfert. Quantum autem ad animam ſpectat, illam, ſi quiſquam alius, verè immortalem eſſe dixit. Primùm enim eam animam ἐντελέχειαν vocat, aut vt alij volunt ἐνδελέχειαν, id eſt, vt interpretatur Cicero, quem fortiter tuetur Politianus, cõtinuam motionem. Noſtri cum Boëtio actum, Argyropilus & Albertus perfectionem, quos (innominatos tamen) ſequutus eſt vir vndequaque

doctiſſimus Gulielmus Budæus. Multis autem annis ante hos omnes ἐντελέχειαν perfectionem & actum interpretatus fuerat Themiſtius, duo dicens in rebus eſſe, in quibus actum primas ferre vult, actum inquam, id eſt animam, primam Entelechiam corporis naturalis organici, quæ etiam interdum ab Ariſtotele ἐνέργεια appellatur, & δύναμις, id eſt, potentia. Multis magis placet ἐνδελέχειαν, dici, eámque ad continuam illam motionem ſiue agitationem trahi, quæ non in homine modò, ſed in omnibus etiam viuentibus ſubſtantialis forma eſt, non autem accidentalis, qualem in motu eſſe dicit Ariſtoteles. Alij tamen ἐντελέχειαν, primam perfectionem corporis dici malunt, & formã, per quam naturale corpus à poteſtate, id eſt, à materia nuda, in actum prodeat, & animal eſſe incipiat, vel viuum eſſe. Quare entelechiam brutorum, etiámque ſtirpium eſſe volunt, & eorum quoque corporum, quæ vegetabilia ſunt. Brutorũ enim & ſtirpium omniũ naturæ, vel ſentiẽtes, vel vegetatiuæ ſunt. Idcirco extra-

duce,

duce fiunt,hoc eſt,propagātur,& oriūtur ex ſeminū natura.Harum igiur actionulla , niſi organica , nec aliud quidem ipſæ ſunt,niſi organorum aut temperamenta, aut ἐντελέχειαι,id eſt,agitationes,ſeu vita, ſeu motus , vt quidam vir doctiſſimus interpretatur. Et idcirco animam definiens Ariſtoteles , vocat eā entelechiam,aut vt alij volūt,endelechiam primam corporis naturalis,vitam habentis poteſtate:vocat autem & peculiariter nominat in viuentibus formam ſubſtantialem ἐνδελέχειαν vt quidā viri doctiſſimi annotarunt. Vt vt res ſit, fruſtra tantopere torqueri mihi videntur hac in re recentiores,quum omnes entelechiæ endelechiæque ſignificatus ad animam facile adaptari, accommodaríque poſſint. Primum enim ἐντελέχεια, actus dici poteſt, id eſt, forma à qua procedit operatio:imò verò dici poteſt agitatio quædā habitualis, ſeu, vt ex Themiſtio diximus, δύναμις ciens actiones. quod tñ de ἐντελεχέιᾳ interpretati ſumus, Actus enim ſignificat ipſam etiā cōtinuationē primi actus,id eſt natiuam actionē,

virtutem,vim,operationémq; quę demanat à forma. Qui autem ita vt proximè diximus,dictionem hanc interpretantur, formæ ipſius atque eſſentiæ operationíſque vim in primis conſiderant. Alij verò qui per actum primum,perfectioné quandam interpretari malunt, iuxta dictionis ἐντελέχεια etymon, quam τῦ ἐντελοῦς σωμα, χῶν, id eſt, perfecti corporis comprehenſionem denotare volunt, magis ad primam,abſolutámque formam reſpiciunt, quæ perficit & materiam & rem,quæque ciet actiones, id eſt,rem vt diximus, reddit facítque actuoſam. Vnus tamen ſcrupulus reſtat,qui me malè habet,quòd audiam ab Ariſtotele negari mobilem eſſe hominis animam motu ſuo & proprio. Si enim immobilis eſt anima, quomodo dicetur ἐνπλέχεια, id eſt, continua motio & agitatio? Hæc res certè fecit, vt plures non iam ἐνδελέχειαν ſed ἐντελέχειαν, id eſt, perfectionem eiuſcemodi non ad animá quidem,ſed ad τὸν νοῦν, id eſt,mentem, ſiue animum (aliud enim animum, aliud quoque animam eſſe priſci dixerunt) referen-

In. 2. de Gener. animal.

ferēdam cenſuerint. Hunc enim animum in quinta natura poſuit Ariſtoteles, vt ait Laërtius: non autem ἐνδελέχειαν vtpote quam viuentibus omnibus formam, & eā quidē interituram eſſe voluerit. Sed ſi res bene expendatur, nec ad τὸν νοῦν, id eſt ad mētem ipſam referēda eſt Ariſtotelis entelechia, aut ſua (ſi cum aliis loqui mauis) endelechia. Ille enim entelechiam ſuam mortalem eſſe vult, immobilémque, licet ad omnem motū præeuntē: mentem verò immortalem & æternā quod ſatis probat his verbis ἀλλ' οὐχ ὅτι μὲν νοεῖ, ὅτι δὲ οὐκ νοεῖ. χωρισθεὶς δὲ ἐστὶ μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστί. καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον. Sed nec interdum inquit, intelligit, & interdum non intelligit, ſeparatus vero, id eſt demum quod eſt, & hoc ſolum immortale eſt & æternum. Ad hoc faciunt quæ idem Ariſtoteles ita ſcribit περὶ δὲ τοῦ νοῦ οὐδέπω φανερόν, ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον τοῦ ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ. Separatū autem à corpore, nulli concretioni permixtum, impatibiléque, & ſuo ſubſtantia actu ſubſi-

cõceptibus, quódq; cuilibet rei intelligibili cõcipiendę ſufficiat. Sed quantũ hoc falſum ſit, ex his quę ſuperiore libro dicta ſunt patêre poteſt, ſed & hoc quidem per hęc quę alibi dicturi ſumus, clariꝰ patebit. Hîc enim obiter tantũ, animæ immortalitatem cõtra Epicureos aſſerturi ſumus, quam rurſus, vt his finem faciamus, hoc breui Platonis argumento immortalem probabimus. Quæ non ſunt ex elementis nata, corruptioni minimè ſunt obnoxia. Anima non eſt nata ex elementis, ergo nulli corruptioni eſt obnoxia. Ergo moriente corpore, non aliter ab eo ſeparabitur anima, atque corruptibile ab incorruptibili. Quòd ſi Epicureus natam ex elementis dixerit animam, reſpondeat mihi quomodo in natura elementari oriuntur notitiæ, & hæ quidem vniuerſales, nec de rebus corporeis tãtùm, ſed etiam de Deo, de Angelis, de numeris, de anima, eiúſque pulchritudine & deformitate, id eſt, de diſcrimine honeſtorum & turpium, de quo diſceptamus. Velit ergo aut nolit, immortalem animam fateri cogetur Epicu-

Plato in Phædo.

reus, niſi fortè dicere velit animas eas mortales, quarum corporalem actionem eſſe, eáſque non aliunde accidere, ſed naſci in corporibus ſcribit Ariſtoteles. Exiſtimauit enim non ſimul fieri animatum & fœtum, hoc eſt, animam vegetatiuam priùs eſſe in fœtu quàm ſentientem, ſed animæ illæ, id eſt, ſpiritus, qui in ſemine vel in nondum animato fœtu ſunt, longè differentes eſſe conſtat ab illa immortali, diuináque mente, cum cuius actione nihil communicat actio corporalis vt idē Ariſtoteles his verbis teſtatur, λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον, οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια. Sed de his alibi plura. Iam ad fatum, cui omnia ſubiecisse Ariſtotelem volunt Epicurei, veniamus. Ariſtoteles etſi ſubobſcurè de fato ſcripſerit, certum eſt tamen eundem, vt Beſſario ſcribit, artem, arbitrium, omnem rationē fato ſoluiſſe, vt qui virtutes voluntariáque vitia poſuerit, animíque libertatem vel maximè aſſeruerit. Itaque omnium doctiſsimorum hominum iudicio, non ſolùm Ariſtotelis

In 2. de generat. ani.

ſed

ſed Platonis etiam ſententia fuit, omnia quidem ſecundùm prouidentiam Dei fieri, plæraque tamen in libero arbitrio & electione hominis, inque fortuna ſita eſſe. Et hoc videtur innuere Ariſtoteles Phyſic. II. Nunc de prouidentia Dei dicendū eſt, quam plærique Platonici putant vel negatam ab Ariſtotele, vel ad lunam vſq; duntaxat extenſam, quorum ſententiam cùm nos non Epicureis tantùm, ſed multis etiam laude dignis viris placuiſſe, atq; etiānum placere videamus, ſequēti capite euertendā confutandámque cenſuimus.

Non Epicureos modò, ſed pleroſque Platònicos, cum Plutarcho, Auerroe, Oenomao, Theodorito Cyrenſi Epiſcopo, Beſſarione, aliíſque pluribus temerè falſóque affirmare, aut negatam ab Ariſtotele diuinam prouidentiam, aut ad lunam vſque, duntaxat extenſam.

CAP. XII.

QVia Epicurei in hoc ſedulò incumbūt: vt omnem turpis honeſtíque rationem euertant, detortis

ad ſuam hæreſin Platonis, Ariſtotelis,aliorúmq; illuſtrium Philoſophorũ, quas de Deo,animæ immortalitate, prouidentia & fato ſcripſerunt ſentẽtiis, vltrà progrediendum non cenſui, niſi priùs iis depulſis, quæ vel Platoni,aut Ariſtoteli Peripateticorum principi falſò attribuũtur. Sed in his præſertim hîc inſiſtendum duximus,quæ de diuina prouidentia ſcripta nobis reliquerunt, qua ſublata,perit omne turpis honeſtíque diſcrimen,confuſione erroréque implentur quę hîc ſunt & fiunt omnia. Volunt ergo Epicurei ſimilem ſibi facere Ariſtotelem,erepta ab eius ſcriptis, detractáque diuina prouidentia. Platonici quoque gloriantur ſuum Platonem præclarè de diuina prouidentia & ſenſiſſe & ſcripſiſſe. Ariſtotelem verò non item, quòd luna tenus putarit diuinam prouidentiam rebus præeſſe,cætera autem omnia quæ infra lunam ſubſidũt minùs hactenus curauiſſe,minúſque etiãnum curare: ſed & eorũ gubernationem tradidiſſe, traderéque fato, neceſsitatíq;, cui quidem tantum ipſe tribuerit, vt non ſolùm

ſolùm diuitias, paupertatem, proſperam valetudinem, morbos, ſeruitutẽ, bellum pacémque ab hac diſpenſari crederet, ſed virtutem quoque vitiúmque contribui. Hanc opinionem Cynicus, Oenomaus apertiſsimè accuſauit, vatémque Pythiũ, quòd his ſimilia ſuis oraculis reſpõderet, eiuſdem accuſationis reum fecit, ac librũ, quem ea de re conſcripſit, veneficiorum indaginem appellauit. In eo autem, teſte Theodorito, qui Oenomai ſententię ſubſcribit, hæc ſcripta inueniuntur. ἀπόλωλε γὰρ τόγε ὦδι τοῖς σοφοῖς, ἐκ τοῦ ἀνθρωπείου βίου ἀπόλωλε, &c. hoc eſt, Periit enim(quantum in ſapientibus viris eſt) periit, inquã, ex humana vita, ſiue id temonem, ſiue ſaburram, ſiue crepidinem libeat appellare, libertas videlicet humanæ vitæ, quam nos quidem vel rerum; quæ maximè neceſſariæ ſunt, dominam eſſe decernimus. Hęc ille. Porrò Plutarchus prouidẽtiam diuinam partim dat Ariſtoteli, partim adimit. Ariſtoteles, inquit, mundum non totum vſquequaque animatum, aut rationalem, aut intellectualem, aut proui-

dentia gubernandum ſtatuit, ſed cœleſtia quidem his prędita. Orbes enim qui contineant, animatos, animantéſque eſſe. At inferiora & terrena nihil eiuſmodi obtinere, nec ordine principaliter, ſed per accidens participare. Auerroes pręterea cōmento quinquageſimo primo libri 12. Metaphyſicæ, Deum nihil ex iis quæ hîc fiunt, intelligere, vtpote nihil extra ſe ipſum intelligentem, ex Ariſtotelis ſententia confirmat. Quòd ſi hæc Deus non intelligit, quæ ſub concauo orbis lunæ fiunt, ſequitur neceſſariò vt ne his quidem prouideat. Prouidentia enim actio, ſeu officium intellectus eſt, dirigens rem, cui conſulitur, ad finem commodum, quod niſi cum cognitione illius, minimè effici poteſt. Diuus quoque Thomas non inficiatur eiuſmodi opinionem tributam Ariſtoteli, quam tamen negat ex verbis Ariſtotelis manifeſtè colligi poſſe. Quidam, inquit, eatenus prouidentiam eſſe voluerunt, quatenus ſe extenderet ad ſpecies, neque ad induidua deſcenderet, videlicet ea de cauſa, quia quod ſuum egreditur

ditur curſum, id legibus nō ſubiicitur prouidentiæ. Itaque ea quæ ſæpè à curſu ordinato deficiunt, non prouidentia gubernantur, quibus particularis generabilium & corruptibilium rerum cōditio eſt, quæ quidem opinio tribuitur Ariſtoteli, quāquam ex eius verbis manifeſtè id accipi non poteſt. Idem quoque Thomas prędictum Ariſtotelis locū explicās ita ſcribit, Idcirco, inquit, ex fide Catholica dicimus nihil temerè aut fortuitò, ſed cuncta prouidentię ſubdita eſſe diuinæ, Ariſtotelem etiam eodem in loco interpretatur, aſſerens illum de rebus hîc contingentibus, ordine ad cauſas particulares, dixiſſe, nō ordine ad cauſam vniuerſalem, quæ diuina prouidentia eſt, quæ rerum effectus, partim neceſſariò, partim contingenter prouenire ſtatuerit. Quanquam ipſi effectus ſuis aſſimilētur cauſis proximis, non remotis, quas pro ſua imbecilli natura attingere nequeant. Ad hanc D. Thomæ ſententiam adduci non poteſt Beſſario, quin potiùs aliorum, quorum meminimus, opinioni videtur adhæreſcere. Hos

tamen pro virili probare enitemur Deū, ſuperiorum, inferiorúmque, iuxta etiam Ariſtotelis ſententiam, curam habere, & vt noſtra religio credit, à fine ad finem vſque attingere omnia, réſque omnes hominum, per ſapientiam ſuam ſuauiter diſponere, ídque exemplo, ratione, autoritatéque ab eodem Ariſtotele deſumptis. Primùm igitur omnium conſiderare, diligentérque expendere nos oportet, exēplum illud, quod in Philoſophiæ cōpendio, de Cambyſe, aut Xerxe vel Dario, ad ducit Ariſtoteles. Hos enim dicit in regia ſua admirabili, cuius ambitus auro electroque & ebore refulgeret, ſedentes, ſub ſe proceres, circunſtantes ſtipatores, cuſtodes, famulos & miniſtros, quos rebus inferioribus præficerent, habuiſſe. Non enim eos cōueniebat vilißimo cuique operi adeſſe, vt ſi in exercitu, aut vrbe, aut domo colligendæ eſſent ſarcinæ, aut contemptibile quid faciendum, quod ſub magno Imperatore, vile mācipiū exequi magis addeceret. Sed & Reges, Præſides, ac Satrapas Xerxem Cambyſémq; ac Da-

ac Darium habuiſſe dicit, quibus res paulò maiores delegarent. Indecorum enim fuiſſet Xerxem propriis manibus vniuerſa operari, & quęcunque vellet, perficere. Quod certè inquit, longè minùs Deo fas eſt. Sed cõgruentiùs erit ac venerabiliùs, eius in altiſsima regione præſidẽtis poteſtatem, per omnem mundum vagari, & pertinere, Solémq; mouere & Lunã, totúmque cœlũ circumagere, autorémque ſalutis eſſe rerũ cœleſtiũ. Hæc Ariſtoteles qui certè poſtremis verbis mentem ſuam aperire, explicaréque videtur, omnibúſq; inſinuare, cur ad lunam vſque Dei prouidentiam extenderit. Quod reuera nõ eò dixit, vt Deum inferiora minimé curare vellet. Cõtrarium enim facilè ex his quæ ſubdit, verbis, elici poterit. Neq; enim, inquit, illi aut arte, aut aliorũ miniſterio opus eſt, quẽadmodũ noſtratibus principibus, quibus propter imbecillitatẽ, multorũ manus ſunt neceſſariæ. Sed ea eſt ſumma diuinitas, vt cum facilitate & vno ſimplici motu, omnes generatim formas producat. Quemadmodũ architecti, qui

vnici inſtrumenti machina, multas & varias operationes exequũtur: ſimiliter qui neurospaſtæ dicuntur, id eſt, qui circulorum inſtar, aliquod animal ſimulatè mouent: Vno enim filo contracto, mouent collum, manus, humeros, & oculos, nonnunquam omnes partes numeroſè, partes, inquam, eius animalis quod ſimulãt: Sic profectò natura diuina ſimplici motu primi cœli dat virtutem in ſuccedẽtia, & ab illis rurſus in longinquiora, donec in omnia peruenerit. Rurſus ille poteſtatẽ, prouidentiáq; Dei ſe ad remotiſſimas terræ regiones, terreſtriáq; omnia extẽdere his verbis dicit. Seruator, inquit, & genitor quaruncunq; rerũ quæ mundum hũc conficiunt, Deus eſt: non tamen in eo laborantis, & per ſe operantis animalis laborem ſuſtinens, ſed vtens poteſtate indeficiente, per quam ea etiam quæ remotiſſima ſunt exuperat. Altiſſimam igitur, primámque regionem ſortitus eſt ipſe: hypatóſque ob hanc cauſam à Poëtis dictus eſt, qui, vt Poëtarũ princeps inquit, in ſummo totius cœli vertice præſidet.

Homer. Iliad. v.

Cuius

Cuius poteſtate maximè fruitur, proximum ei corpus, deinde per ordinem vſq; in noſtras regiones vniuerſa. At terreſtria omnia, quoniam plurimùm diſtant à bono quod diffunditur, debilia ſunt, & corruptibilia, plenáque tumultu. Hæc Ariſtoteles Auguſtino Steucho interprete. Sed vt paulò clarius oſtendamus, doceamúſque ex eodem Ariſtotele, eam qua Deus circa res humanas, vtitur, prouidẽtiam, audiamus quæſo, quid accidiſſe dicat, in ea ignis emiſſione, qui violenter eruperit ex Aethna. Cùm fluuius ignis, inquit, ex Aethna prorumpẽs, omnem circùm regionem inuaderet, fugientibus ex oppidis & agris, omnibus, ſed ſenioribus affectæ iam ætatis fugere non valentibus certũ eſt adoleſcentes filios, parẽtes in humeros ſuſtuliſſe, & flammam euadentes, fluuium ignis in eos ſuperueniſſe: quo tẽpore ferunt diuinam prouidentiam, quæ rebus benefactis delectatur, perſpicuam hîc fuiſſe: Scindẽs enim ſeſe rapidus ignis in duas partes, reliquit intactos parentes, & filios, quaſi pietatem tantam veritus.

Aduerte autem hîc Ariſtotelem diuinitatem vocare τὸ δαιμόνιον, quam dicit præcipuo honore affeciſſe genus piorum, id eſt, pium genus. Ex cuius verbis duo colligere poteris, diuinam nempe prouidentiam, rebus humanis præſidere, tum ei res omnes ſubiectas eſſe, poſſéque ab eadẽ naturalium rerum curſum ſiſti. Sed fortaſſe quis obiiciet falſò Ariſtoteli tribui hoc Philoſophiæ compendium, ex quo quædam ſuperius deſumpſimus. Sed pone ita eſſe, (quanquam ridicula ſunt, & facilè refelli poſſunt quę ab iis qui aliter ſentiunt adducuntur) an idcirco aliis Ariſtotelis teſtimoniis ad hanc rem deſtituti erimus? Minimè gentium. Ille enim libro Ethicorum primo, fœlicitatem hominis diuinitus conferri dicit. Quod ſi ita, quomodo id fieri poterit ſine Dei prouidentia, idipſum quod bonorum omnium optimum eſt, homini conferentis. εἰ μὲν οὖν, inquit, ἄλλο τι θεῶν ἐστὶ δώρημα ἀνθρώποις, εὔλογον καὶ τὴν εὐδαιμονίαν θεόσδοτον εἶναι, καὶ μάλιστα τῶν ἀνθρωπίνων ὅσῳ βέλτιστον, Quòd ſi quis per ſuppoſitionem loquutum

quutum Ariſtot. dicat propter dictionem εἰ, id eſt, Si, hanc affirmatiue ſumi eleganter docebit Ioannes Franciſcus Picus per hæc verba Ariſtot. ὥστ᾽ εἴπερ ἐστὶν ἡ ψυχὴ, inquit, καὶ τῆς κτήσεως καὶ τοῦ σώματος τιμιώτερον, καὶ ἁπλῶς καὶ ἡμῖν, ἀνάγκη καὶ τὴν διάθεσιν τὴν ἀρίστην ἑκάστου ἀνάλογον τούτων ἔχειν. Quare ſi eſt anima & poſſeſsione & corpore honoratior, & ſimpliciter, & quo ad nos, neceſſe eſt optimam vtriúſque diſpoſitionem illis proportione reſpondere. Hîc vides non ex cōditione loquutum Ariſtotelē, ſed animā & corpore & bonis externis digniorē affirmaſſe. Quare nec alio quoque loco ex præſuppoſitione loquutus eſt, quando ita ſcripſit. εἰ γάρ τις ἐπιμέλεια τῶν ἀνθρωπίνων ὑπὸ θεῶν γίγνεται, ὥσπερ δοκεῖ καὶ εἴη ἂν εὔλογον, χαίρειν τε αὐτοὺς τῷ ἀρίστῳ καὶ τῷ συγγενεστάτῳ, hoc eſt, ſi qua, inquit, Diis rerum humanarum cura eſt, quemadmodum videtur, & conſonū vtique eſt gaudere illos optimo, ſibíq; maximè cognato. Subdítque id eſſe mentē. Vbi Dei prouidentiam in homines, ab Ariſtot. vides aſſeri. Hîc enim merita cuiúſque reſpicit,

Ethic. 7.

Ethico. 10.

bona bonis, mala malis retalliat. Idẽ quoq; in ſuis moralibus, Deo ſapientes curæ eſſe, & ꝓpterea fœlices euadere dicit. Homines ſimiliter non naturâ bonos fieri, ſed diuina quadam cauſa ſcriptum reliquit. Quæ certè fieri minimè poſſunt, niſi ſit certiſſima Dei in homines prouidentia. Sed quomodo erunt homines θεόληπτοι καὶ ἐνθουσιάζοντες, id eſt, Deo capti & à Deo agitati, quorum omnium meminit in libris, quos ſcribit ad Eudemum, ſi Deus humana contemnit, nec eorum vllam curam habet? Multis aliis teſtimoniis, ex eiuſdem Ariſtotelis moralibus, Politicis, libríſque, quos De anima, de generatione, de mundo, de cœlo ſcripſit, deſumptis, hominum ſui temporis errorẽ reuincit, fuſiſſiméque confutat Io. Franciſcus Picus in eo libro, quem in Philoſophaſtros, de Dei prouidentia conſcripſit. Ad eum igitur lectores prolixitatis fugiẽdæ cauſa, remittimus. Sed vt iam ratione comprobemus, quod exemplo, auctoritatéque Ariſtotelis confirmauimus, ſi Deus, his tantùm quæ in cœlis ſunt, prouideret,

uideret, nec quicquam inferiora curaret, 1. Ioan. 4.
non eſſet in eo abſolutiſſima charitas, cui
tantum tribuitur, vt ea veriſſimè à nobis
Deus eſſe dicatur. Erit ergo Deo virtute
ſuperior, qui Reip. proſpiciet, quique hu
mane, iuſtè, moderatè, ſapiētérque in re-
bus omnibus ſe geret. Quî fieri ergo po-
terit, vt Deus omni virtute ſuperior dica-
tur? hoc enim conſtanter affirmat, proui-
dentiámque hac in re maximè confirma-
re videtur Ariſtoteles. Sic enim ille, ὀυκ
ἔστι θεῶν ἀρετή. ὁ γὰρ θεός βελτίων τῆς ἀρετῆς,
καὶ ȣ̓ κατ᾽ ἀρετὴν ἔστι σπȣδαῖος. ȣ̔́τω γὰρ βελ-
τίων ἔσται ἡ ἀρετὴ τȣ̃ θεοῦ. Non eſt, inquit,
Dei virtus. Etenim Deus eſt virtute ſupe-
rior & melior. Et non ſecundùm virtu-
tem eſt bonus. hoc enim modo virtus eſ-
ſet Deo melior. Quod ſi verum eſt, vt cer-
te verum eſſe conſtat, Deus charitatem &
beneuolentiam longè maiorem habebit
ea ipſa, quam conſuetudine, documentíſ-
q; acquirunt homines, imò veró ipſemet
vt Chriſtiani loquuntur, charitas veriſſi-
mè dicetur. Fatetur ergo Ariſtoteles mi-
rabilem in Deo virtutē, eximiámq; Pro-

uidentiam & charitatem. Qua ſi Deus careret, ſalutíſque hominum negligens eſſet, nec clamãtes ad ſe exaudiret, multis hominibus virtute inferior haberetur. Hæc hactenus de prouidentia Dei dicta ſint, quam Deo planè tribuiſſe Ariſtotelem, rerúmque omnium & autorem, & perſpectorem & curatorem dixiſſe, putauiſſéque, certiſſimum eſt, quicquid dicãt Epicurei, quicquid commententur Platonici, iíque omnes, quorum ſuperiùs meminimus.

Plutarchum, alióſque Philoſophos idem de animi turpitudine cum Platone & Ariſtotele cenſuiſſe.

CAP. XI.

PLutarchus aliíque Philoſophi idem omnino cum Platone & Ariſtotele, ſuper animi vitioſi deformitate cenſuerunt. Omnes præterea non ſecus atque illi, poſt hanc vitam probis hominibus, præmia, improbis ſupplicia aſſigna-

gnauerunt. Idque inter cæteros diligentiùs feciſſe Iamblichum video. Ille enim, vbi multis in locis animi pulchritudinē extulit, eiúſque deformitatem deteſtatus eſt, tandem hæc quæ ex priſcorum Pythagoreorum dogmatis excerpſerat, hūc in modum perſcripſit. Mors, ait, non modò non eſt extimeſcenda pio, ſed multò etiam magis optanda. Aut enim pereunte anima cum corpore, fit omnium malorum reſolutio, aut ea remanente poſt diſceſſum, reſoluto corpore, continget vita beatior. Sed quoniam eſt hoc poſtremum (claret enim animam eſſe immortalem) certè nulla alia via certa ſalutis atque ea, per quam incedentes optimam, prudentiſsimámque vitam agamus. Nihil enim fert ſecum anima tendens ad alteram vitam, quàm probitatem vel improbitatem, quæ plurimum prodeſſe, aut obeſſe defunƈto noſcuntur. Atque anima quidem melior, cum Deo habitat, per cœli regiones beatas inueƈta. Quæ verò ſeſe faƈtis impiis contaminauit, impietate, impuritatéque ſordeſcens,

proficiſcitur ad iudicia ſubterranea, meritis pœnis deputanda. Ob quam cauſam conandum eſt in hac vita, dum licet, & datur, virtutem & ſapientiam adipiſci. Pulchrum enim eſt præmium & ſpes ingens: audendúmque eſt ei qui in hac vita moratur, vt omnes voluptates, corporeáque ornamẽta, tanquam aliena à ſeſe abiiciat, non alieno, ſed ſuo cultu, id eſt, ſapientia, iuſtitia, reliquíſue virtutibus animum veſtiens. Sícque expectet profectionem, ad alteram vitam, velut abiturus, cũ voluerit fatum. Quod cùm ita ſit, non magnis pecuniarum aceruandarum curis æſtuandũ, non gloriæ, non ambitionis, ſed prudẽtiæ & animi, vt ſcit quàm optimus, ſtudium capeſſendum. Neque enim fas eſt, quæ nihil æſtimari debuiſſent, plurimi facere: neque rurſum, quæ magno in precio decuiſſet haberi, parui pendere. Non corporum igitur & opum, ſed animi capeſſendum ſtudium. Non enim ex opibus virtus, ſed ex virtute opes. Et ſubdit. Viro igitur pio, neq; viuo, neq; mortuo mali quidquã euenire poteſt: cùm nec viuus,

viuus, nec mortuus à Deo negligatur. Hæc Iamblicus: cuius verba ſi bene expenderent Epicurei, ex Ethnico etiam Philoſopho intelligerent, quantum eos maneat ex eorum improbitate ſuppliciū, quantum autem pios præmium, animíque pax & ſecuritas. Sed ita cœci ſunt & demētes, vt hæc intelligere, aut nequeāt, aut non velint. Suam ergo ex Cicerone dementiam intelligant, qua maximè affici probat, quotquot vitæ intemperantia Epicureis ſunt ſimiles. Nomen, inquit, inſaniæ, ſignificat mentis agitationem & morbum, id eſt, inſanitatem & ægritudinem animi, quam appellant inſaniam: Omnes autem perturbationes animi, morbos Philoſophi appellant, negántque ſtultum quemquam his morbis vacare. Qui autem in morbo ſunt, ſani non ſunt, & omnium inſipientium animi in morbo ſunt. Omnes igitur inſipientes inſaniunt. Sanitatem enim animorum poſitam in tranquillitate quadam, conſtantiáque cenſebant, his rebus mentem vacuam, appellant inſaniam: propterea *Cic. Tuſcul. quæſt. lib. 3.*

quòd in perturbato animo, ſicut in corpore, ſanitas eſſe non poſsit. Nec minus illud acutè, quod animi affectionem lumine mentis carentem, nominauerunt ametiã, eandẽque, demẽtiam. Atque hic certè eſt, quem nouiſsimè tetigit Cicero, Epicureorum morbus, cuius fontem aperit libro Tuſcul. Quæſt. 4. atque in hunc quidem modum. Omnium autẽ, inquit, perturbationum fontem eſſe dicunt intemperantiam, quæ eſt à tota mente, etiã à recta ratione defectio, ſic auerſa præſcriptione rationis, vt nullo modo appetitiones animi, nec regi, nec contineri queant. Quemadmodum igitur temperantia ſedat appetitiones, & efficit, vt hæ rectæ rationi pareant, conſeruátque conſiderata iudicia mentis, ſic huic inimica intemperantia, omnem animi ſtatum inflãmat, cõturbat, incitat. Itaq; & ægritudines, & metus, & reliquæ perturbationes omnes gignuntur ex ea. Quẽadmodũ cũ ſanguis corruptus eſt, aut pituita redũdat, aut bilis in corpore, morbi, ægrotationéſque naſcũtur: ſic prauarum opinionum cõturbatio, & ipſarum inter ſe repugnantia, ſanitate ani-

animum ſpoliat, morbíſque perturbat. Ex perturbationibus autẽ primùm morbi conficiuntur, quæ vocant illi, νοσήματα, eáque, quę ſunt eis morbis contraria: quæ habent ad res certas vitioſam offenſionẽ, atque faſtidium. Deinde ægrotationes, quæ appellantur à Stoicis ἀῤῥωστήματα. Híſque item oppoſitæ contrariæ offenſiones. Aegrotationi autem hæc ſubiecta eſſe vult, auaritiam, ambitionem, mulieroſitatem, peruicaciam, liguritionem, temulentiam, & ſi qua ſunt ſimilia. Hîc habes ſcitè admodum tibi explicatam, non ſolùm Epicureorum, ſed omnium etiam vitioſorum hominum dementiam, morbóſque, & pernicioſas animorum ægrotationes, quibus omnibus animi deformitas, turpitudoque clariſsimè reuelatur.

Poetas omnia animi vitia, omnémque eius turpitudinem doctè ingenioſéque expreſsiſſe.

CAP. XII.

SVperiore libro dicebamus ex Horatio explicatum diligenter ab Homero, omne turpis, honeſtique diſcrimen: idémque factitatum à Virgilio, alíiſque Poëtis:

in quibus primas tulerũt Satyrici poëtæ, quorum primi fuêre Iuuenalis, Perſius, illéque moralis philoſophiæ doctiſsimus, & in explicãda animi pulchritudine, deformitatéque poëtarum omnium diligẽtiſsimus, Horatius, quem vtinam poetæ illi ſequerẽtur, qui auream ſuam venam, lepidúmque & ſuaue eloquium, quo ab optimo Deo donati ſunt, ad res venereas, ſordéſque aut meras nugas conuertunt. Quid hoc q̃ſo, aliud eſt facere, quàm illo ſuo ſublimi, diuinóq; ingenio abuti ad excitandã, augẽdámq; in animis hominũ cõcupiſcentiam, ſupparaſitãdúmque cõmuni omniũ libidini. Tales poetas à Rep. ſua explodendos cenſuit Plato, non autem eos, à quibus ipſe, & Ariſtoteles, cæteríque illuſtres Philoſophi, plurima diuinitus dicta deſumpſerunt, híſque ſcripta ſua confirmauerunt. Sed tempus eſt, vt ſicut animi turpitudinẽ, iuxta Ethnicorũ Philoſophorũ ſentẽtias docuimus, ita nos eodẽ quoq; modo, eandẽ ſecũdúm ſacræ ſcripturæ dogmata, Orthodoxorúmque Philoſophorũ pręclara ſancita explicemus.

FINIS LIBRI TERTII.

IOANNIS NEOVILLEI GENVILlani, de pulchritudine animi,

LIBER QVARTVS.

Vnam, eandémque eſſe turpitudinis animi cauſam, apud Ethnicos, Chriſtianóſque Philoſophos.

CAP. I.

VT Ethnicis Philoſophis Chriſtianos in multis congruere oſtēdamus, vnam, eandémq; ab vtriſque turpitudinis animi cauſam, adduci, teneriq; ingenuè fatemur. Peccatum namq;, voluntariúmque vitium, vtriſque animū inficit, & deturpat. Sacra tamē ſcriptura aliis atque aliis nominibus huiuſmodi turpitudinem exprimere ſolet, ipſique etiamnum Orthodoxi, Chriſtianíq; Philoſophi. Si quidem

peccatricem animam à Deo ad Diabolũ deficiẽtem, eidémque, ob vitium quo deturpatur, ſeſe mancipãtem, meretricem, fornicatricémque vocat ſcriptura: eandẽ quoque menſtruatam, leproſam, rugoſam, tetram, fuſcam, curuam, aliíſque nominibus appellat, quæ omnia ſingillatim hoc libello explicaturi ſumus. Verùm cur generali nomine, turpis deformíſque ea anima dicatur, quæ ſe vitiis ſordidauerit, atque in corporis cœnum proſtrauerit, quomodo item turpis efficiatur, primo loco dicturi ſumus.

Quomodo turpis anima fiat, iuréque eo turpitudinis nomine vocetur.

CAP. II.

PVlchro pulchrum fieri ſuperiùs diximus. Vt igitur pulchro pulchra anima redditur, ita & turpis cõmunione, præſentiáque turpis efficitur. Virtutẽ, pulchrum, honeſtúmque & vtile eſſe: vitium autem, turpe ac inhoneſtum, ipſis quoque

quoque ethnicis Philoſophis fuiſſe cōſtat vel notiſſimum. Sed nec tantùm his notiſſima fuit pulchri, turpíſque ratio, ſed eos etiam vſque adeò pulchri, honeſtíque amor tenuit, vt potiùs paupertatem, ſuppliciáque quantunuis grauia, imò & ipſam quoque mortem prius eligendam, ferendámque cenſuerint, quàm quid turpe committere: tanta præterea apud eos pulchri fuit obſeruatio, omníſq; turpitudinis odium, vt omne peccatum vitiúmque contra naturam eſſe palam faterentur. Quæ autem ſint, quæ animam deturpent, ſicque polluant, vt meritò turpitudinis nomine vocitetur, ea ſuperiùs ex Paulo recenſuimus. Sunt enim carnis opera, quæ non idcirco carnis actiones dicuntur, quòd nihil quidquã cum eiſdem communicet, neque his conſentiat animus, ſed quòd is carnis illecebris ineſcatur, ab eadémque in fraudem illiciatur, ac turpia per eandem deſignet facinora. Hac carneam fieri animam dicunt Ambroſius & Origenes. Carnea enim efficitur, quòd carne victa, eidémq; mãcipata, *Galat.5.*

nil,niſi quod carnale eſt,reſipiat. Quò fit vt ita affecta, nihil amplius præſtare poſſit,quàm quod ipſa caro. Sed quid quæſo, caro præſtat, præter, id, quod mortale, corruptibiléque, ac æterno dignum eſt exitio? Inter omnia autem carnis opera, nullum eſt quod magis carneam reddat animam,quàm adulteriũ, fornicatio,luxuria,mollities animi,immunditia,ipſáque omnia, à quibus nos alienos eſſe peranxiè hortatur ac iubet Paulus,inter quæ prima ſunt,& quę maximè animum contaminant libidinoſæ, ínque venerẽ deſpumantis carnis deſideria. His igitur peſtibus inficitur, turpíſque admodum & deformis efficitur anima. Quod tibi teſtabitur peccatricis animæ facies, quæ quomodo huiuſmodi vitiis,aliíſque notis deturpetur,conſequenter explicabimus.

Galat. 5.

Quæ ſit animæ facies,& quomodo vitiis deturpetur. CAP. III.

QVæ ſit animę facies priùs dicẽdum eſt, quàm quidquam de faciei notis, turpitudinéque eius dicamus.

camus. Ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatam hominis animam nemo homo non nouit: quo fit vt diuina, valdéque admirabilis animæ pulchritudo exiſtimanda ſit. Non enim, vt pulchrè Cyrillus ſcribit, abſque ſanctificatione ſpiritus anima homini data fuit, nec à diuina natura deſtituta eſſe potuit. Quod per hæc Moſis verba denotari arbitratur. Inſpirauit, inquit, in faciem eius ſpiraculum vitæ. Nunquam igitur, ad ſupremæ naturæ imaginem humilitas noſtra conſcenderet, niſi à ſpiritu, voluntate videlicet Patris, pulchrè reformaretur. Quoniam enim imago exquiſita vnigeniti, Spiritus eſt, vt ait Paulus, (Quos enim præſciuit: hos & prædeſtinauit cõformes fieri imaginis filij eius) eos, in quibus habitat, cõformes reddit imagini Patris, id eſt, filio. Sic vniuerſa per filium ad patrem ex quo eſt, in ſpiritu reducuntur. Chriſtus ergo apud Ioannem renouari, ac reformari quodammodo ad imaginem primã, participatione Spiritus, naturam humanam exoptat, idque vt fiat, patrem ſuum rogat

Cyrill. in Ioã. cap. 7.

Rom. 8.

vt nos primam illam gratiam induti, peccatum, quod in hoc mundo regnat, ſuperare poſsimus, charitati diuinæ inhærentes, & virtuti toto animo ſtudẽtes, vt carnis lege ſuperata, pulchritudinem immiſſæ communicatæque nobis imaginis Dei inuiolatam ſeruemus. Rurſus idem de reductione humani generis ad Deũ, id eſt, de reſtitutione diuini ſplendoris faciei ipſius animæ, quæ vitiorum luto mirum in modum deturpata fuerat, verba faciens, ſic inquit. Reductio, inquit, generis noſtri ad Deum non alio modo, réque alia per ſeruatorem Chriſtũ Ieſum facta eſt, atque participatione ipſa, ſanctificationéque Spiritus. Spiritus enim eſt qui nos Deo coniungit, cuius participes facti, ſupernæ quoque naturæ participes reddimur, ipſum Patrem in filio, & per filiũ recipientes. Ex hoc inquit Ioannes, ſcimus
1.Io.4. quòd in Chriſto manemus, & ipſe in nobis, quia de ſpiritu ſuo dedit nobis. Et Paulus, Quando, inquit, filij eſtis, miſit Deus
Galat. 4. ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba Pater. Nam ſi ex expertes ſancti Spi-

cti Spiritus eſſemus, nunquam Deus eſſet in nobis. Si ſpiritum non haberemus, per quem in filios Dei adoptamur, nullo modo eſſemus filij Dei: nunc autem participes ſupernæ naturæ, Dei quoque templa effecti ſumus. Pro noſtris enim peccatis vnigenitus Dei filius, homo factus, tanquam ſacram hoſtiam, in odorem ſuauitatis, Deo Patri ſeipſum obtulit: vt ablato per eum, quod à Deo nos ſeparabat, peccato, nihil iam nobis impedimento eſſet; quin Deo, ſi vellemus, adhæreremus, ac participatione ipſius, per Spiritum ſanctum, frueremur, reformantes nos ad iuſtitiam, ad ſanctificationē, & ad imaginē primā, id eſt, imaginē Patris. Hæc Cyrillus. Ex cuiꝰ verbis vides quæ ſit faciei animę pulchritudo, quomodo perdatur, quo modo reſtituatur, renouetúrque ſpiritu Dei. Quid igitur fiet nobis qui per vitiū, immunditiámque, primigeniam illam Spiritus ſanctificationem perdiderimus: perdiderimus autem tum quum turpiſſimis notis, animæ noſtræ faciem ſugillauimus. Eſt enim, vt ait Philo, anima noſtra

Philo in lib. quòd mulier. non decet indecorè agere.

ſtra Dei imago, ipſiúſque hominis chara-
cter verbum ſempiternum. ἐπεὶ δὲ θεοειδὴς ἀνθρώπινος πρὸς ἀρχέτυπον ἰδέαν τὸν αἰωτά-
τω λόγον τυπωθείς. Quandoquidem diuinæ ſimilis eſt mens humana ad archetypum, id eſt, exemplarem ideam, altiſſimũ verbum formata. Sed poſtquam illa ſpiritus ſanctificatione priuata eſt, denigrata eſt facies eius ſupra carbones, vniuerſúſque eius ſplẽdor, decórque diſperiit. Quomodo igitur eam, vt ſponſam ſuam, oſculo oris ſui exoſculabitur ſpõſus? Hãc vtique in tenebras exteriores mittet, niſi faciem lauerit, multíſque lachrymis per peccatum contractas notas eluerit, híſque elutis, ac deprecata venia, ſupplex ad ſponſum redierit. Hoc enim ſi fecerit, redibit protinus natiuus ille faciei ſplendor. Nã vt ait Bernardus, non eſt in ea deleta ſimilitudo dei, ſed alia notha ac ſpuria, aut, vt cum eodẽ Bernardo loquar, peregrina ſuperinducta. Verũ quia peccatrix anima non ſolùm notis, ſed etiam rugis deturpatam faciem habet, quæ ſint huiuſmodi rugæ dicamus, vt ſingulatim omnẽ

pecca-

peccatricis animæ turpitudinem denudemus.

Quare anima rugoſa dicatur, & quæ ſint illius rugæ.

CAP. IIII.

RVgas faciei, totique corpori inducũt ſenectus & morbus: animę verò, quę inſeneſcibilis eſt, morbus tantum. Eſt enim animæ morbus malitia, malitia autem defectus boni, nõ ipſa animæ ſubſtantia mala. Nam cùm ęgrotat anima ac deprauatur, id ſanè non fit niſi affectionum, actionúmque bonarum defectu: & quia longiùs à fine ſuo aberrat, atque haud infrequenter ob propriam infirmitatem dilabitur: quod pulchrè explicat Dionyſius Areopagita quando ita ſcribit εἰ δὲ inquit, κακοῦσθαι ψυχὰς φαμὲν, ἐν τίνι κακοῦνται; εἰ μὴ ἐν τῇ τῶν ἀγαθῶν ἕξεων, καὶ ἐνεργειῶν ἐλλείψει, καὶ δι' οἰκείαν ἀσθένειαν ἀτευξίᾳ, καὶ ἀπολισθήσει. Addit quoque ad hoc aptam admodùm cõuenientémque comparationem. καὶ γὰρ καὶ, inquit, τὸν ἀέρα, τὸν

περὶ ἡμᾶς ἐσκοτῶσθαί φαμεν, ἐλλείψει, καὶ ἀπουσίᾳ φωτὸς: αὐτὸ δὲ τὸ φῶς ἀεὶ φῶς ἐστὶ, τὸ καὶ σκότος φωτίζον, hoc eſt, iam verò circunfuſum quoque nobis aërem obtenebrari dicimus defectu videlicet, & abſentia luminis: ipſum verò lumen, ſemper eſt lumen, quod etiam illuminat tenebras. Ergo bonarum affectionum atque actionum defectu, ipſiúſque in primis veri luminis, id eſt, Spiritus ſancti abſentia, morbus animæ īnaſcitur, ex morbo verò rugę, animę ipſius faciem contrahunt, eámque valde deformem reddunt. Adde quòd ſicut natiui caloris debilitate, qui maximus in decrepitis ſenibus eſt, frigido vniuerſos corporis artus perambulante, maléque corpus diuexante, vbique rugæ cutem cōtrahunt, ita Spiritus ſancti abſentia, charitatíſque defectu (ſine qua manca euanidáque fides noſtra eſt,) tota torpeſcit, frigeſcítque anima, non faciei eius modò, ſed tota etiam ſubſtantia in rugas abeunte, valdéque admodū deformata. Quo fit vt ſponſo ſuo haud immeritò diſpliceat anima: ſponſam enim immaculatus ſponſus

ambit,

ambit, ſponſam diligit nullam habentem maculam, aut rugam, vel aliquid eiuſmodi.

Curuam animam eſſe quæ peccato mancipata fuerit.

CAP. V.

VT nihil deformius eſſe peccatrice, vitiíſque obnoxia anima oſtẽdamus, curuam eam haud immeritò dici probabimus, primùm autem curua erit ſi illa ſpiritui minùs conſentiens, ab amore Dei, cœleſtiúmque rerum ſtudio, ſe totã ad carnis deſideria incuruauerit. Nam cùm animam, iuxta Chriſti, Paulíque præceptum, ea quæ ſurſum ſunt ſapere, erectáque in cœlum mente, cœleſtia contemplari oporteat, ſi hæc ſeſe in corporis cœnum ſemel proſtrauerit, omneſque ſuas cogitationes ad res huius mundi fluxas caducáſque cõuerterit, haud iniuria curua obliquáque vocabitur. Curuitatis huiuſmodi non neſcius Satyricus poëta Perſius altiùs inclamat. Perſ ſaty. 2

O curuæ in terris animæ, & cœleſtium inanes.

Egregium profectò gentilis poëtæ dictũ, Chriſtianæque veritati valde congruens & conſentaneum. Quis enim non videt curuas hominum animas, id eſt, omnino carnis deſideriis affixas, rerũ cœleſtium inanes eſſe? Ita animatus erat adoleſcens
Math. 9. ille apud Math. qui nũmos ſuos, diuitiáſque quas plurimas habebat, erogare in pauperes noluit, vt expeditiore liberioréque animo Chriſtum ſequeretur. Nondũ ſe ad veræ vitæ, ſolidæque rationis compoſuerat, erexerátque amuſsim, qui de patre ſepeliendo ſolicitus erat, memor adhuc aratri quod reliquerat. Similis quo-
Ioan. 3. que in Nicodemo curuitas obliquitáſque fuit, quando ad Chriſtum noctu venit. Nondum enim veterem hominem exuerat. Quare quid nouus eſſet, non poterat intelligere. Merito igitur hæc audit à Chriſto: Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Curuus igitur & carnalis adhuc erat Nicodemus, nondúmque ſpiritu Dei renatus, vt non mirum fuerit, ſi capere non potuerit Chriſti Ieſu verba. Oportet igitur

tur nos, quos curuos faciunt tot in animũ obrepentes, húcque vel illuc impellentes perturbationes, omnes affectus noſtros ſub rationis imperiũ cogere, híſque, quantum fieri poterit, nos expedire. Nam is tunc demum erectus dicetur, qui his ſeſe exemerit: quique ob mentem perfectam, ad angelorum rectitudinem, naturámque propiùs acceſſerit. Hoc autem maximè quis præſtat, tum quum mentem ſuam ſupra res mundanas extollit, cogitationes vanas deiicit, & cordis ſui extollentis ſe aduerſus Deum, altitudinem deprimit: quod certè communis ſcopus eſt eorum, qui pietati conſultum cupiunt, vt his verbis ſcribit Baſilius magnus, *Baſil. mag. in pſal. 116.* ἀκουέτωσαν, inquit, οἱ τῇ μὲν σαρκὶ διὰ τῶν παθημάτων συμπεφυρμένοι. τὸν δὲ νοῦν ἑαυτῶν ὑπεραίροντες τῶν ὑπερκοσμίων. ὧν τοὺς λογισμοὺς καθαιρεῖν, καὶ τὸ ὕψωμα τῆς καρδίας αὐτῶν, τῆς καταπαιρομένης τοῦ θεοῦ, κοινὸς ἔστω σκοπὸς πᾶσι τοῖς ἀντιποιουμένοις τῆς εὐσεβείας. Qui hoc non fecerit, curuus, id eſt, homo animalis erit, de quo Paulus. Quia animalis, inquit, homo non percipit ea quæ ſunt *1. Cor. 2.*

ſpiritus Dei. Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritaliter diiudicatur. Spiritalis autem examinat omnia.

Quomodo tetra & fuſca eſſe anima intelligatur, & quæ ipſius nigredo ſit.

CAP. VI.

ACcedit ad animæ peccatricis turpitudinem, quòd ea tetra & fuſca ſit. Sed vnde quæſo, prouenit huiuſmodi nigredo, niſi ex vitiis, inſanáque libidine æſtuantis, peruſtíque in carnis deſideriis animi? Si enim ex virtutis ſole, immenſóque charitatis ardore orta eſſet hæc nigredo, non contemptibilis, ſed valde laudabilis eſſet. Clamat enim ſe nigrã & fuſcam ſpõſa in Canticis, ſed ea nigredine quæ à ſpiritali ſole producta eſſet. Sol enim iuſtitię, qui ſpiritalis & inuiſibilis eſt, longè aliter infuſcat, atq; hic ſol viſibilis. Hic enim viſibilis ſol, ea corpora, quibus à ſũmo libramine inſederit, infuſcat & vrit: ea verò quæ ꝓcul ſunt, & ab iſta collibratione longiùs poſita, cõſeruat in

in candore ſuo, nec omnino vrit ea, ſed illuminat. Sol verò ſpiritalis, qui eſt ſol iuſtitiæ, in cuius pennis ſanitas eſſe dicitur, contrarium facit. Nam eos quidem, quos recti cordis, & ad libram ſui ſplendoris conſiſtentes inuenerit, illuminat, & omni fulgore circundat: eos autem qui obliquè incedunt cum eo, neceſſariò etiam ipſe obliquè non tam reſpicit, quàm deſpicit, hoc eis præſtante inconſtantia ſua, & inſtabilitate. Et hoc quidem poſtremũ quod dicit Origenes, ad curuas illas animas, de quibus ſuperiore capite dictum eſt, accommodari poteſt. Nam quî fieri poteſt vt qui peruerſi ſunt, ſuſcipere poſſint quod rectum eſt? Velut ſi curuo ligno rectiſsimam regulam adhibeas, videbitur quidem per regulam argui materiæ prauitas, nõ tamen regula eſt, quę ligno cauſam peruerſitatis dedit. Et ideo feſtinandum eſt ad vias rectas, & ſtandum in ſemitis virtutum: ne fortè ſol iuſtitiæ rectus recteque incedens, ſi nos obliquè ſtare inueniat, & peruerſos, nos quoque deſpiciat, tũcque efficiamur denigrati. Quãtò

Orige. in cãtic. cãtic.

enim erimus lucis eius incapaciores, tantò aptiores paratioréſque nigredini, tenebríſque recipiendis, quibus nigri, tenebroſi, horridiq; efficiamur. Aduerte autẽ quòd luci huius ſolis, qui omnem illuminat mundũ, contrarium vitium eſt, quod idcirco haud temere nigredinẽ animo inducere putatur: imò verò ipſumet nigrũ
Eſa. 1. ab Eſaia cõueniẽter appellatur. Si fuerint, inquit, peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix albeſcent. Rubra præterea & ſanguinea à Prophetis dicuntur. Qui volet ergo omnem de animo ſuo vitiorum nigredi-
Ibidem. nem delere, id faciat quod cõſulit Eſaias, Lauet cor, & ſeipſe emundet, à conſpectu ſuo conatuum ſuorum malitiam auferat, ceſſet malefacere, diſcat benefacere, iudicium quęrat, ſeruet oppreſſum, pupillum & viduam tueatur, inque iudicio eorum cauſas agat.

Meretricem, immundámque fornicatricem, peccatoris hominis animam dici.

CAP. VII.

NOn ſine cauſa meretrix, immundáque fornicatrix dicitur omnis anima

quæ

quæ relicto Deo factore ſuo, nomen dedit Diabolo, ſéque illi ignominioſè mancipauit. Sic meretrices vocat Deus apud Ezechielē Aholam, & Aholibam, id eſt, Hieruſalem, & Samariam, quòd relicta vera religione, ad exterorum Deorum cultum impudenter tranſiiſſent. Duæ, inquit, filiæ matris vnius fuerunt, & fornicatæ ſunt in Aegypto, in adoleſcentia ſua fornicatæ ſunt: ibi contuſa ſunt vbera earū, & ibi compreſſerunt vbera virginitatis earū. Ad inſtar igitur earum, meretrix dicitur omnis anima, quæ vitiis, turpíque libidine polluitur. Quur hoc? Quia vt inquit Cyrillus, ad ſe recepit amatores, de quibus ait Propheta, Meretricata es poſt amatores tuos. Sed qui ſunt iſti amatores, qui intrant ad animam meretricem? Sunt profectò contrariæ poteſtates & dæmones, qui pulchritudinis ipſius deſiderio peruruntur. Pulchra nanque & decora à Deo creata eſt anima, vt ex Dei verbis apud Moſem facilè intelligere poſſumus. Faciamus, inquit, hominem ad imaginē & ſimilitudinem noſtram. Vide cuius de-

Ezech. cap. 23.

Cyril. in Leuit.

Geneſ. 1.

coris, cuius pulchritudinis eſt anima. Imaginem enim habet & ſimilitudinem Dei. Hac pulchritudine capiuntur contrariæ poteſtates, id eſt, dæmones & angeli eius, eámque ambitioſè concupiunt, quoties eam intuentur, & introſpiciunt. Et quoniam ſponſi eius fieri non poſſunt, meretricari cupiunt cum ea, vt ſcribit Origenes. Si ergo ſuſceperis ô anima in cubili tuo adulterum Diabolum, fornicata es cum Diabolo. Si receperis Angelos eius, ſi ſpiritus diuerſos, qui peccare ſuadeant, rurſus fornicata es cum illis, ſi ſpiritus iræ, ſi inuidiæ, ſi ſuperbiæ, ſi impudicitiæ ingreſſus fuerit ad te, & conſenſeris ei loquēti in corde tuo, iis quoque delectata fueris, quæ tibi ſecundùm mētem ſuam ſuggeſſit, meretricata es cum eo. Origenes quoque in Homilia octaua cap. XX. Exod. hunc in modum de animæ peccatricis fornicatione philoſophatur, Habitauit, inquit, in nobis immūdus ſpiritus antequàm crederemus, antequàm veniremus ad Chriſtum, cùm adhuc fornicaretur anima noſtra à Deo, & eſſet cū amato-

amatoribus ſuis dæmonibus: ſed poſteaquam dixit, Reuertar ad virum meũ priorem, & venit ad Chriſtũ, qui eam ad imaginem ſuam creauit, neceſſariò ceſſit ei adulter ſpiritus, ſimulátque vidit legitimum virum. Suſcepti ergo ſumus à Chriſto, & mundata eſt domus noſtra à peccatis prioribus, & ornata eſt ornamentis ſacramentorum fidelium, ſacramentorum inquam, quæ norũt qui initiati ſunt. Sed non ſtatim domus hæc habitatorem habere Chriſtũ meretur, niſi fortè vita eius & cõuerſatio ita ſancta, ita pura & incontaminabilis ſit, vt Dei templum eſſe mereatur. Non ſolùm enim domus, ſed templum eſſe debet, in quo habitet Deus. Si ergo acceptam gratiam negligat, & ſe ſecularibus negotiis implicet, continuò ſpiritus ille immũdus redit, domúmque vacantem ſibi vendicat. Et ne iterum poſſit expelli, alios ſecũ ſeptẽ Spiritus adhibet, & fiũt nouiſſima huiuſmodi hominis peiora prioribus, quia tolerabili[9] fuerat nõ rediſſe ad virum priorem, meretricantem animã, quàm egreſſam poſt confeſſionẽ

viri, rurſus adulterã fieri. Idem poſt pauca ſic rurſus de eadem fornicatione ſcribit. Hoc igitur exemplo, inquit, intelligamus omnem animã peccatricem proſtitutam eſſe dæmonibus, & habere plures amatores: ita vt cum ea miſceatur, nũc quidem Spiritus fornicationis, nunc illo diſcedente, ſpiritus auaritiæ, poſt quem ſpiritus ſuperbiæ, inde iræ, inde inuidiæ, & poſt hos, vanæ gloriæ, aliíque plures ſpiritus immundi. Ex his omnibus, vides quibus modis ſe dæmoni impudẽter proſtituat hominis anima, quam ſoli ſuo ſpõſo conſtanter adhærere oportuit, cùm idẽ ſponſus pro ea ſeipſum tradiderit, vt eam ſanctificaret, mundatámque aquæ ſacræ lauacro, exhiberet ipſe ſibi glorioſam ſpõſam, non habentem maculam, aut rugã, aut aliquid huiuſmodi.

Animam peccatoris hominis menſtruatam à Prophetis dici.

CAP. VIII.

VT peccatricis animæ turpitudo, fœditas, deformitáſque magis exprimatur, à Prophetis plerunque mẽſtrua-

ſtruata dicitur. Quo fit vt menſtruum, omnem libidinem ſignificet, quæ menſtruatam reddat animam, vt doctè interpretatur Iſychius. Sed & lex veteris teſtamenti prohibet marito, ne menſtruatæ mulieri commiſceatur. In quo attendere debes legiſlatoris intentionem, quæ fuit, vt vnuſquiſque cohiberetur, ſeſéque abſtineret à libidinibus, & nefariis commixtionibus, & à fornicatione tam ſenſibili quàm intelligibili. Talibus autem libidinibus, immundiſque voluptatibus polluta fuit Hieruſalem, paulò ante quàm miſerabili exitio penitus deleretur. Quare tantę vrbis ruinam deflens Hieremias, eā menſtruatæ mulieri haud diſsimilem dicit. Facta eſt, inquit, Hieruſalem quaſi polluta menſtruis. Idē quoque Ezechiel ſcribit, Iuxta, inquit, immūditiam mēſtruatæ facta eſt via eorum. Aptè igitur vitiis polluta, atque in omnem peccandi licentiam effuſa anima, menſtruata dicitur. Quod etiam trahi potuit ad animam malis dogmatibus imbutam. Menſtruata enim dici poteſt omnis anima, quę dogma

Iſych. lib. ſuo 12. in Leuit.

Thren. 1.

Ezech. 22.

peruerſum alit & nutrit, & velut menſtruum ſemen effundit, quæque plus vanæ peſtilentiq; philoſophiæ tribuit, quàm verbo Dei, quod verum ſemen eſt, quo generantur atque aluntur, qui verè ſunt filij Dei. Menſtruati ergo meritò dici poſſunt noſtri temporis hæreſiarchę, quorum ſemine per vniuerſum orbem effuſo, factũ eſt, vt prope innumera viperarum, ſerpentúmque multitudo progigneretur. Epicurei verò non tam mẽſtruati, quàm homines omnino perditi & deplorati ſunt: nullus enim in eis ſalutis locus relictus videtur.

Lepra affici, leproſamque dici peccatoris hominis animam.

CAP. IX.

CVm leproſam eſſe animam audis, ne ſuſpiceris à leproſo corpore in animam id mali profectum Nullum enim corpus quantumuis leproſum aut vitioſum, lepræ interioris, vitiorúmque animæ cõtingentium cauſa eſt, cum abſque

que corpore prauitas oriri poſsit, quemadmodum in dæmonibus. Quicquid ergo lepræ, quicquid vitij mentibus, animabus, ipſiſque etiam corporibus accidit, huius cauſa eſt, impos ad bonum proprium conſequendum, infirmitas, atque caſus. *Dionyſ. de diui nomi.* ὅτι δὲ οὐ κακίας αἴτιον τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα, δῆλον ἐκ τοῦ δυνατὸν εἶναι, καὶ ἄνευ σώματος παρυφίστασθαι κακίαν, ὥσπερ ἐν δαίμοσι. τοῦτο γάρ ἐστι καὶ νόοις καὶ ψυχαῖς, καὶ σώμασι κακὸν, ἡ τῆς ἕξεως τῶν οἰκείων ἀγαθῶν ἀσθένεια, καὶ ἀπόπτωσις, inquit Dionyſius: cui ſuffragatur D. Baſilius, eos culpans qui mali cauſam, corpus eſſe volunt, nec intelligunt animam, corporis aurigam eſſe. *Baſil. mag. de vita monaſt.* Sicut enim auriga competenter iumentum ſuum moderatur, illóque ad commodum ſuum vtitur: ſic animus quoque corpore ad commodū ſuū vtetur, ſi rectè corpus, iumento haud abſimile, moderabitur. Nam corpus quidem naturales motus accipit, non abſurdos, aut prauos, ſed omnino ad aliquid bonos & vtiles. Rationis autem expers eſt, vt rationis prerogatiuis cohoneſtetur anima. Quod tunc demum fiet, quando

ipſa coporis motus condignè diſponet, & corpus ſeruabit, quo tempore ſecura erit omníque periculo vacabit. Si verò gubernationem corporis neglexerit, ſomnóq; oppreſſa, ſocordiæ moderationem illius permiſerit, & ipſum tãquam rationis expers, à recto excidet, & animam paribus ex ęquo lapſibus ac ruinis inuoluet, non ex propria malitia, ſed per illius negligẽtiam. Si igitur affectiones corporis ſibi ſubiicere, euinceréq; nequiret anima, merito culpa daretur corpori. Si verò multis ſubditæ ac morigeræ fuerũt, qui illas coercere ſtuduerũt, ſine culpa quidẽ eſt corpus minùſque reprehenſibile his, qui illud tãquam malitiæ autorem traducere conantur: anima veró culpabilis eſt propter negligentiam: quæ ad corporis obtinẽdum dominium inſtructa eſt, neque ipſa ex natura malum in ſe habens, ſed ex neglectu boni in malo conſtituta. Malitia enim nihil aliud eſt, niſi virtutis defectus. Ergo lepra hæc, non à corpore proficiſcitur, vt à cauſa & autore mali, ſed neque à natura, vt quidpiam in ea mali ſit, cùm naturę vitium

vitium præter naturam incidat, nihilque aliud ſit, niſi naturaliũ priuatio, ipſéque temperantiæ, continentiæque defectus. φύσεως δὲ κακία, τὸ παρὰ φύσιν, ἡ στέρησις τῶν τῆς φύσεως, ὥστε οὐκ ἔστι κακὴ φύσις· ἀλλὰ τοῦτο τῇ φύσει κακὸν, τὸ ἀδυνατεῖν τὰ τῆς οἰκείας φύσεως ἐπιτελεῖν, inquit, idem Dionyſius Tẽperantiæ igitur & continentiæ, ipſiúſque adeò iuſtitiæ, & virtutum omnium defectu leproſa efficitur ac dicitur anima: vbi enim virtutes omnes abſunt, ibi vitia omnia regnare, inque animi arce dominari neceſſe eſt. Quod vbi fit, ibi grauis lepra, peſtilénſque morbus innaſcitur, qui ſi inueterarit, in venis medulliſque inſederit, totam animam leproſam reddet, ſummámque & miſeriã & carnificinã pariet. Eſt enim, vt inquit Cicero, omnis perturbatio miſeria, eſt & ægritudo carnificina, ſed quum nulla perniciosior ægritudo ſit hac animi lepra, maiora certè in ſe continebit quàm cæteræ ægritudines, nẽpe tabem, cruciatum, afflictionem, fœditatem, lacerabit, exedet animum, planéque conficiet. Nec tamen æqualiter omnis lepra a-

Dionyſ. de Diui. nom.

Cicero. Tuſcul. quæſt. lib. 3.

nimum afficiet. Variæ enim ſunt, diffe-
rentéſque lepræ ſpecies. Quædam enim
eſt, aut nimis aut moderatè obſcura, &
quodammodo obtenebrata, & interim
occulta ſub pelle, ſua necdũ efferueſcen-
te paſſione: quamobrem hæc nimia indi-
get deliberatione. Alia autem ſpecies e-
ius eſt, quæ nimis clara eſt, & valde per-
ſpicua, ita vt ſimplex ſit, & aperta cogni-
tio. Ex his primam ſpeciem. L X X. ci-
catricem ſignificationis rectè appellaue-
runt, id eſt, cicatricem, paſſionem ſignifi-
catem. In duas autem partes hanc, id eſt,
in nimis dubitabilem, & in minùs dubi-
tabilem diuiſerunt. Ex quibus vnam
τηλαυγὴν, aliam autem appellauerunt ἀύ-
γασμα. τηλαυγὴν quidem quòd delonge vi-
deatur: ἀύγασμα autem, quia nimis obſcu-
ra eſt, paruámq; habet paſſionis inſinua-
Iſych. lib. ſuo. 4. in Leuit. tionem, & hanc dubitabilem, vt proximi
diſceptatione egeat. Ex his omnibus ſpe-
Origen. in canti. canti. cieb⁹ quas doctè explicat Iſychius, ſex ſpe
cies lepræ colligit Origenes, eáſque om-
nes ad varias vitiorum animæ ſpecies ac-
commodat. Sicut enim quędam lepra cu-
rari

rari poteſt, quædam verò plane incurabilis eſt, ita peccata quædam curari hîc poſſunt, quædam verò incurabilia ſunt, vt in ſpiritum ſanctum peccata, quæ neq; hîc, neque in futuro ſeculo remittẽtur. Quædam præterea quæ purgationem recipere poſſunt, ſecundùm inſpectionem & iudicium Pontificis illius, quem nihil quantumuis occultum latet, quíque ſingulorũ animas diſpenſaturus eſt, pro ratione macularum lepræ ipſius, quam expiabilem aut inexpiabilem viderit. Nos igitur pro virili operã demus, vt nequid lepræ animis noſtris inhæreat, caueamúſque ſedulò, vt ne illa inueterata pernicioſáq; animæ lepra inficiamur, de qua res poſtulat vt aliquid obiter dicamus. *Matth. 12.*

Quàm inueterata animæ lepra exitialis ac pernicioſa ſit.

CAP. X.

SI quis ſcire volet quàm exitialis, quámue pernicioſa ſit lepra, quæ in hominum animis inueterarit, illud

facilè diſcere poterit à communi lepra, quæ hominum corpora occupat & inficit. Sed neque hoc tantùm à lepra diſcere poterit, ſed etiam ab omni morbo, qui altiùs radices egit in anima, perpetuúmque pabulum accepit ab ægroti intemperantia. Hac enim intemperantia, víque morbi factum eſt, vt tandem contagio ad venas omnes, ad ipſas etiam penitiſſimas medullas proſerpſerit defletúmq; & conclamatum ægrotũ reddiderit. Ita enim de inueterata lepra dicendum. Peccatum enim, quod per longam conſuetudinem animam tenet, tandem ex curabili incurabile, ex expiabili, inexpiabile fit, ægroto vix iam morbum ſentiente, vſq; adeò vniuerſum animæ ſenſum morbus deiecit ac debilitauit. Sicut enim is qui ad cloacas, maléque olentia loca moratur, ſi illic diu moram traxerit, tandem loci graueolentia non afficitur, ita qui per longum tempus, fœtida grauitérque olenti peccatorum lepra afficitur, fœtorem ſentire, odoraríque tandem deſinit. Adde quòd is medicum quoque cõtemnit, cùm tamen in

in magno ſit periculo. Quicunque igitur ita ægrotat, eáque lepra afficitur, arcẽdus ab aliorum eſt conſortio, peſtilens enim & perniciosſus omnibus meritò diiudicã- *1. Corint. 5* dus eſt. Talis erat ille Corinthius, quem Sathanæ tradidit Paulus. Tales ſunt Epicurei & athei homines huius ſeculi. Tales ſunt pertinaces hæretici, quorum mor bus ſua vicinitate, aliis membris peſtilens efficitur. Quod pulchrè his verbis explicat Iſychius. Apertè, inquit, huius, qui ta- *Iſych. libro ſuo 4. in Leuit.* lis eſt, anima, ad prophanas declinans voluptates, leproſa fit. Propterea & Paulus eum, qui in Corintho fornicatus eſt, quia ſignificatio, paſſio fuit: manifeſta enim erat, nec occultabatur, à ſanctorum remo- *1. Corin. 5.* uit tabernaculo, & tradi Sathanæ in interitum carnis præcepit. Qui cùm inſpexiſſet ſecundò paſſionem, & vidiſſet, quia nõ creuit, eum qui paſſus fuerat, & qui per lacrymas pœnitentiæ veſtem carnis abluerat, è veſtigio ſuſcipi iuſſit. In ipſis autem Apoſtolicis verbis hæc intelligis. De eo enim qui, vt diximus, fornicatus fuerat, *1. Corin. 5.* ita ad Corinthios ſcripſit. Omnino audi-

tur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxoré patris quis habeat. Ecce ſignificationem audiſti. Manifeſta quippe fuit paſſio, ita vt vſque ad Pauli peruenerit auditum, propter quod de tabernaculis eum eiici præcepit. Ita quippe dicit tradi qui huiuſmodi eſt, Sathanæ in interitum carnis. Et rurſus, Auferte malum de medio veſtri. Quia autem vidit veſtem carnis pœnitentia mundatam, rurſus eum ſuſcipi iuſſit.

2. Cor. 2. Et quomodo hoc certum eſt: Obſecro, inquit, cofirmate in eo charitatem, ne forte maiore triſtitia abſorbeatur. qui huiuſmodi fuit, manifeſtum eſt, quia ſe vitæ prioris pœnituerat, & vt in peccato deprehéſus, vehementer affligebatur. Propterea ne quid ex nimia triſtitia pateretur, néue in deſperationem corrueret peccans, præcucurrit Paulus, & eum qui iam munditiæ reſtitutus fuerat, ſuſcipi præcepit. Hæc hactenus Iſychius de manifeſta & vetuſtiſsima lepra, quam conſeneſcere peccato & corrumpi dicit. Hanc, ſi perſeuerauerit & creuerit, flamma cõburi

buri iubet Moſes. De flamma autem gehennæ intelligit, & futuri temporis memoriam facit. Neque enim dicit in igne crematur, ſed in igne concremabitur. Si autem poſt recluſionem, eam viderit non creuiſſe, præcipiet, & lauabunt id in quo eſt lepra, id eſt, diluere ea illum per pœnitẽtiam pręcepit. Deinde poſt dilutionem, recludere illud in quo, vt diximus, lepra eſt, ſeptem dies rurſus iubet, vt cognoſcat vtrùm inueniat maculam ſuperbiæ, vel vanæ gloriæ permanentem: quanuis non creuerit, tamen incommutata ab hoc eſt, quia ad pœnitentiam nõ migrat, immundum quoque remanet illud in quo lepra eſt, dignúmque quod igne comburatur. Hæc multáque alia de manifeſta inueteratáque lepra, ac aliis lepręſpeciebus ſcribit Iſychius. Per has autem lepras omnes, omne peccatorũ genus intelligi vult, à quibus omnibus magnus ille ſacerdos Chriſtus Ieſus, ſua bonitate & gratia nos emundauit.

Peſtilentem grauitérque olentem impij hominis animam, raucámque & inſuauem eius vocem.

CAP. XI.

OMnis leproſi hominis, quem inueterata malè afficit, corrumpit & conficit lepra, maximè fœtet anima, aliíſque peſtilẽs & pernicioſa eſt. Cuius vox quoque rauca, penitúſque inſuauis eſſe comperitur. Eſt autem inſuauis & iniucunda eius vox, quæ nõ dogmata veritatis, ſed blaſphemias in Deum, & iniquitatem in Excelſum loquatur. Siquidẽ apud imperitos & animales homines, pulchriora videntur mendacij ſophiſmata, quàm dogmata veritatis. At quantùm ad peſtilentem eiuſmodi hominis animam pertinet, certum eſt, peſtẽ, ſi vnius hominis vel iumenti corpus attingit, ad proximos quoſque ſtatim ſerpere, vt vno contaminato, mox ad alium vis morbi perueniat: eodémque modo iniquitatis operarios ſe inuicem inficere, inuicẽ ægrotare, ſimúl-

ſimúlque perire videmus. Peſtilentes ergo ſunt, quippe qui proprium morbum in alios transferant, omnéſque ſibi ſimiles eſſe exoptent, vt per malorum communionem, multorúmque ſocietatẽ, propriam diffugiant infamiam. Atqui ignis aridam nactus materiam cohiberi nõ poteſt, quò minùs vniuerſam corripiat, maximè ſi cõtigerit vis venti flammam prouehentis, neq; poſsibile eſt peccatum quod in vno fuerit, ad vicinos omnes non tranſire, ſi ſpiritus ac vẽtus iniquitatis inſufflarit, vicinóſque corripuerit ac accẽderit. Fornicationis enim ſpiritus non in vno tãtùm conſiſtit, ſed latè in proximos graſſatur, coœui ſtatim eodem afficiuntur morbo, ganeæ, ebrietates, ſcurrilia verba, amica inſuper vnà potans huic arridet, illum irritat ac prouocat ad libidinẽ. Deniq; omnes ad idẽ incendit peccatũ. Quod doctè elegãtérq; his verbis effert Baſili⁹ magnus. *Baſil. mag. in pſal. 1.*

οὔτε γὰρ πῦρ εὐκαταπρήστου ὕλης ἁψάμενον, δυνατὸν μὴ οὐχὶ ἤδη πᾶσαν αὐτὴν διαβῆναι, ἄλλωστε, κἂν ἐπιτύχῃ πνεύματος ἐπιφόρου τὴν φλόγα διακομίζοντος. οὔτε τὴν ἁμαρτίαν εἰς ἀψα-

μένειν, μὴ οὐχὶ καὶ πάντας τοὺς ἐγγίζοντας διελθεῖν, ἐξαπτόντων αὐτὴν τῶν πνευμάτων τῆς πορνείας. τὸ γὰρ τῆς πορνείας πνεῦμα, οὐκ ἀνέχεται ἐν τῷ ἑνὶ στῆσαι τὴν ἀτιμίαν. ἀλλ᾽ εὐθὺς ἡλικιῶται συμπαρελήφθησαν, κῶμοι καὶ μέθαι καὶ αἰσχρὰ διηγήματα. ἑταῖραι συμπίνουσαι. τούτῳ προσμειδιῶσαι, κἀκεῖνον διερεθίζουσαι, καὶ πάντας πρὸς τὴν αὐτὴν ἁμαρτίαν συμπλέκουσαι. Hæc ille. Porrò quòd olida fœtidáq; ſit impij hominis anima, facit auaritia, rapina, ſuperbia, ſed in primis intẽperantia ac luxuria. Nam quî fieri poteſt, vt eius bene, iucundéque redoleat anima, cuius corpus olet hircum, & ob veneris vſum ſemiputre eſt? Aut eius, qui totus in delitiis eſt, cuius animus in venerem perpetuò deſpumat: ínque immũdarũ voluptatũ volutatur cœno? Bene eius hominis olet anima, quæ Chriſtũ Ieſum, non venerem, nõ Bacchũ olet, Bene olet quæ verbũ Dei olet, nec luxuria, ſtultitia, ſcurrilitate, cæteríſque vitiis diffluit. Rurſus quantùm ſpectat ad improbę animæ vocem: quomodo vox ea ſuauis erit & grata Deo, quæ ab impuro ore pollutóque corde egreditur? Sed & huiuſmodi

modi anima;verba,nõ niſi turpia, ſtulta, ſcurrilia blaterat, & effutit. Blaſphemas enim voces impudẽter effundit, leproſáq; vt ſic loquar, menſtruatáque dogmata diſſeminat. Hęc ſunt igitur mala vitiáq;, per quæ mirum in modum corrupta deformatáque euadit peccatoris, impiíque hominis anima,à quibus ſi expediri emũdaríque voluerit,ſolicitè quærat ea remedia quæ mox dicturi ſumus.

Quibus modis peccatoris, impiíque hominis anima,dignitatem pulchritudinémque ſuam recuperare poterit.

CAP. XII.

NVllum præſentius remedium eſt, quo leproſa, maléque affecta anima ſibi ſuccurrere poſsit, quàm Dei verbũ. Hoc enim inſtructa imbutáq; anima,facilè ad eum redit,à quo priùs temerè imprudẽtérque defecit. Ad hoc adiungenda eſt ſeria peccatoris pœnitentia, cordis contriti, valdéque deiecti lachrymæ, iuſtáque & legitima pro commiſsis

delictis compenſatio. His enim obtineri, impetraríque poterit Chriſti Ieſu gratia, quæ ad omnem curandam lepram eſt efficaciſsima. Solus enim Chriſtus Ieſus is eſt, qui non animæ pedes modò, ſed totã etiã, quãta quãta eſt, animã lauat, emundat & ſanat, eámque ſic lotam, mũdatam & perſanatam, primigeniæ dignitati pulchritudiníque reſtituit. Eum igitur enixè oremus, vt lepro ſas vitiíſq; corruptas noſtrum omnium animas lauet, vnáque cũ

In Iud. Cap. 6. Homil. 8. Origene, in has ſupplices, precatoriáſque voces flebiliter prorumpamus, Veni, precor, Domine Ieſu, fili Dauid, exue te veſtimẽtum, quo te (Domine) induiſti propter nos, & accingere propter nos, mittéque aquam in peluim, vt laues pedes ſeruorum tuorum, ſordéſque filiorũ tuorum & filiarum tuarum diluas. Laua, laua, inquam, pedes animæ noſtræ, vt nos te imitati, exuamus vetera veſtimenta, & dicamus: Noctu exui me veſtimentũ meum, quomodo induam illud? Et iterum dicamus: Laui pedes meos, quomodo ſordidabo illos? Tu autem, ſimulátque laueris pedes

des meos, recumbere etiam me facias recum. Hæc nos ſi haud ficto ſimulatóque corde, ſupplices deiectíque petierimus, nihil dubium erit, quin ille pro ſua bonitate & miſericordia, expurgatis ſtatim animis noſtris, reconciliet Patri. Sed iam tempus eſt, vt poſt explicatam animi turpitudinem, eius quoque dignitatem pulchritudinémq;, iuxta ſacrę ſcripturæ ſancita, Orthodoxorúmque Patrum ſententias, paulò altiùs, fuſiúſque explicemus.

FINIS LIBRI QVARTI.

IOANNIS NEOVILLEI GENVIL-lani, de pulchritudine animi,

LIBER QVINTVS.

Longè maiorem excellentioremque pulchritudinem eſſe, quæ iuxta ſacras literas, orthodoxorúmque Patrum ſententias, hominis ineſt animo, quàm ſit ea, quæ ſuperiùs iuxta illuſtrium Philoſophorum ſententias explicata eſt.

CAP. I.

SAtis hactenus explicata eſt animæ peccatricis turpitudo, ſatis denudata illius ignominia: quare operæpretium eſt, vt

vt nunc iuxta ſacras literas, Orthodoxorúmq; & Chriſtianorũ Philoſophorũ ſentẽtiã, aliquid de dignitate & pulchritudine eius dicamus. Quanuis enim Philoſophi multa præclarè ad eam rem dixerint & ſcripſerint, hæc tamen nihil omnino ſunt, ſi cum iis quæ ex ſacris literis, Chriſtianorúmque Philoſophorum ſententiis dicenda ſunt, cõferantur. Ea tamen ſciẽtes prudentéſque præmiſimus, non vt ad eorũ axiomata placitáque, Chriſti dicta accommodaremus, ſed potiùs eorum ſententias, verioráq; ſancita, ad Chriſti Ieſu ſententiã aptaremus, eíq; eadẽ ſeruire cogeremus. Quoſdã enim ex iis non diffitemur, atq; inter omnes Platonem, admirabili naturæ luce ita illuſtratos, vt diuinis eorum ſcriptis Epicureos huiuſce temporis facilè confutare, manifeſtíque erroris reuincere poſſimus. Multa enim Chriſtianæ veritati conſentanea, & proximè ad fidei noſtræ normas præſcriptáque accedentia ſcripſerunt, quæ tamen nõ pudet huiuſmodi porcos cõtemnere, vitámque ab omni virtute ciuili, pulchróque illo

Phi-

Philoſophico remotiſſimã viuere. His igitur relictis, de veriore animi pulchritudine dicturi, ab eo qui pulchritudinis omnis fons eſt, ſermonis noſtri ſeriem contexamus.

Vnde rerum omnium pulchritudo.

CAP. II.

PVulchritudinis omnis fontem Deũ eſſe nemo ignorat. Ille enim illud ipſum pulchrum eſt, quod ſuiipſius præſentia communionéque pulchra omnia facere ex Platone dicebamus. Pulchra enim ſunt ſui luminis participatione ſupera inferáque omnia. Ab hoc enim lumine lucet omnis Angelorum exercitus. Ab hoc quoque lumine iidem Angeli in magnificos illuſtréſque ordines digeſti ſunt. In quibus ita ſe illi ad Deum habẽt, vt ſtellę ipſæ ad ſolem. Cœli verò, quorũ ordines, lumina, firmitates, multiplices planetarum, qui in eo ſunt, permutationes, certos præfinitóſque ſolis & lunæ, quæ ſunt prima eorum lumina, circuitus

cuitus quotidie demiramur,quicquid luminis & ſplendoris,quicquid virtutis habent, huic ſoli, pulchritudinis & bonitatis fonti autoríque Deo , acceptum referre debent. Quòd ſi his relictis,ad horũ inferiorum ſpeculationem te conuerteris,quid quæſo, pulchritudinis rationalibus animis infuſum eſt,quod non hęc diuina bonitas liberaliter illis contulerit? Quòd ſi nos de animantibus rationis expertibus loqui voluerimus, iíſque, quæ vel per terram gradiũtur, vel ſerpunt humi, vel in aquis vitam ſortita ſunt, aut in aqua viciſſim atque terra, vel ſub terram inſita,præſſáque luto viuunt,& de iis ſimpliciter, quæcunque ſenſualem animam aut vitam habent,hæc quippe omnia,per ipſum bonum conſequuta ſunt, vt animarentur & viuerent. Sed & quicquid naturalis pulchritudinis habent, idipſum à boni pulchríque fonte, ad eadem profectũ eſſe dignoſcitur. Quid multis agam? Ab eodem pulchro ſunt rerum omnium eſſentiæ,vniones,communiones, diſcretiones,ordines,proprietates, ſtatus, mo-

tus,ſine quibus vniuerſi pulchritudo cõſiſtere nequit, imò verò omnia protinus ſunt ſine eiſdem in antiquum illud chaos reditura. Propterea D. Dionyſius nõ abs re, proprio conuenientíque nomine, hoc ſupereſſentiale pulchrum, pulchritudinẽ vocat, propter illam quam rebus omnibus, pro ſuo cuiúſque modo, pulchritudinem impertitur, quódque concinnitatis, nitoríſque omnium cauſa, luminis immenſi inſtar, cunctis affulgeat perpetuo, paſſimque fontani radij ſui deriuationes mittat, quibus pulchra indeſinenter reddit, & velut ad ſe vocat omnia, tota in totis in vnum colligens. τὸ δὲ ὑπερούσιον καλὸν κάλλος μὲν λέγεται διὰ τὴν ἀπ' αὐτοῦ πᾶσι τοῖς οὖσι μεταδιδομένην οἰκείως ἑκάστῳ καλλονήν· καὶ ὡς τῆς πάντων εὐαρμοστίας, καὶ ἀγλαΐας αἴτιον, δίκην φωτὸς ἐναστράπτον ἅπασι τὰς καλλοποιοὺς τῆς πηγαίας ἀκτῖνος αὐτοῦ μεταδόσεις, καὶ ὡς πάντα πρὸς ἑαυτὸ καλοῦν, ὅθεν καὶ κάλλος λέγεται· καὶ ὅλα ἐν ὅλοις εἰς αὐτὸ συνάγον. Nihil igitur mirum ſi hoc bonum à ſanctis Theologis, vt pulchrum & pulchritudo, item vt dilectio & diligendum laudetur. Pulchri-

Dionyſ. de diui. nomi.

chritudo enim dici meruit, quia vniuerſam pulchritudinem comprehendit, imò verò & ſuper pulchrum, ſempérque & ſecundùm eadem & eodem modo pulchrũ, nec vnquam ortum, nec adauctum, nulliúque diminutioni obnoxium. καλὸν δέ. ὡς πάγκαλον ἅμα καὶ ὑπέρκαλον καὶ ἀεὶ ὄν, κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως καλόν, οὔτε αὐξανόμενον, οὔτε φθῖνον. inquit idẽ Dionyſius. Cùm autem hoc pulchrum in res omnes luminis ſui capaces pulchritudinem immittat, intellectualibus naturis virtutem ſplendorémque ſuum potiſsimum dat & impertitur, vt ex his quæ mox dicturi ſumus clariſsimè patebit.

Primum luminis cœleſtis id eſt, diuinæ pulchritudinis portionem, intellectuali naturæ impertiri.

CAP. III.

CVm diuina pulchritudo ſolis inſtar, indeſinẽter luceat, omnia ſui luminis capacia illuminet, ſplendorémque ſuum per omnia eminenter explicet,

cúmque omnem ſupercœleſtẽ intellectũ lumine ſuo intelligibili impleat, eúmque quàm maximè exornet, ſua tamen virtus diuinúſque ſplendor in animis hominum præcipuè eluceſcit, in illis enim ignòrantiam omnem, errorémq; expellit, eóſque ſacri luminis participes efficit, intellectuales eorum oculos purgat, obductámque ex ignorãtia caliginẽ diſcutit. Adde quòd eoſdem profundo tenebrarum pondere obtuſos ſuſcitat, explicátque in lucem. Primùm quidẽ his mediocre lumẽ impertit, deinde eiſdẽ impertitum lumen ardẽtiùs guſtantibus, ipſúmque amare incipientibus vberiùs affluit, ideóque & eos abundantiùs illuminat, quia ſcilicet plurimùm dilexerunt: atque ita ſemper incendit, vt gradatim vltrà proficiant: eatenus autẽ proficiant, quatenus ſurſum pro viribus ſeſe attollere valebũt, ὅτι φῶς νοητὸν ὁ ἀγαθὸς λέγεται, διὰ τὸ πάντα μὲν ὑπερουράνιον νοῦν ἐμπιπλᾶν νοητοῦ φωτός. πᾶσαν δὲ ἄγνοιαν, καὶ πλάνην ἐλαύνειν ἐκ πασῶν, αἷς ἂν ἐγγένηται ψυχαῖς· καὶ πάσαις αὐταῖς φωτὸς ἱεροῦ μεταδιδόναι· καὶ τοὺς νοεροὺς αὐτῶν ὀφθαλμοὺς ἀποκαθαί-

Dionyſ. de diui. nomi.

θαίρειν τῆς περικειμένης αὐταῖς ἐκ τῆς ἀγνοίας ἀχλύος. καὶ ἀνακινεῖν, καὶ ἀναπτύσσειν, τὰς πολλῷ βάρει τοῦ σκότους συμμεμυκότα. καὶ μεταδιδόναι, πρῶτα μὲν αὐγῆς μετρίας· εἶτα ἐκείνων ὥσπερ ἀπογευομένων φωτὸς καὶ μᾶλλον ἐφιεμένων μᾶλλον ἑαυτὴν ἐνδιδόναι· καὶ περιουσιωτέρως ἐπιλάμπειν, ὅτι ἠγάπησαν πολύ· καὶ ἀεὶ ἀνατείνειν αὐτὰς πρὸς τὰ πρόσω κατὰ τὴν σφῶν εἰς ἀνάνευσιν ἀναλογίαν. inquit Dionyſius. Ex his autem poſtremis verbis elicere poſſumus, quid poſsit charitas in huiuſce luminis adeptione. Etenim charitas ipſa, Deus eſt. Quare quí charitatem habet, Deum habet, totiúſque legis finẽ eſt aſſecutꝰ. Quò fit, vt quãtò ſumus charitatis amãtiores, cò cognatiores coniũctioréſque Deo efficiamur. Satis igitur his liquet quid ſit, hoc quod quęrimus pulchrum, quod certè eſt diuinũ illud lumen, quo intellectuales naturæ, præcipuè illuſtrantur, quóve vires earum renouantur & firmantur. Sed hæc hactenus de bonitatis pulchritudiníſque omnis fonte, Deo, dicta ſunt. Nunc de animi pulchritudine, ſpecialiter dicendum, à cuius primigenia pulchritudine exordiri operæpreccium eſt.

Quam pulchritudinem ſtatim creationis ſuæ initiò hominis animus habuerit.

CAP. IIII.

Dici non poteſt qua pulchritudine hominis animum donauerit Deus ſtatim creationis ſuæ initio. Eum enim ad imaginem & ſimilitudinem ſuã effinxit, quo vno quid melius, quídve optabilius poterat illi accidere? Quomodo autem ad imaginem ſuam benedictus Deus hominem finxerit, explicare neceſſe eſt. Scire ergo primùm oportet, Deum non idcirco hominem finxiſſe ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quòd ipſe oculos & aures & caput & nares perinde ac mortalis homo habuerit. Simplex enim & incorporeus Deus eſt, ſine magnitudine & quantitate. Sed & corpus noſtrũ corruptibile eſt. Quare fieri nõ potuit, vt incorruptibile incorruptili figuraretur, ipſúmque corruptibile incorruptibilis eſſet imago. Quomodo ergo ſcriptura hominem ad Dei imaginem & ſimilitudinem effectum dicit? Cùm hoc audis, noli quidquam

quam terrenum,carnale,corruptibiléque meditari. Pone ob oculos tuos interiorem hominem,qui immortalis,& rationis particeps eſt, qui quò magis exterior corrumpitur, edomatur, in ordinémque redigitur,eò magis renouatur, diuiniórque efficitur. Hic enim ille eſt,qui ad imaginem Dei eſt effictus, qui ſi ratione, qua eum Deus nobilitauit, vtatur, nihil nobilius, nihil diuinius eodem inueniri poterit. Quare D. Baſilius doctè & eleganter hominis dignitatem extollit,eiúſque miſerabilem lapſum deflet,idque his quę ſequũtur verbis, μέγα, inquit, ἄνθρωπος καὶ τίμιον ἀνὴρ ἐλεήμων, τὸ τίμιον ἐν τῇ φυσικῇ κατασκευῇ ἔχων, τί γὰρ τῶν ἐπὶ γῆς ἄλλο, κατὰ εἰκόνα τοῦ κτίσαντος γέγονε. τίνι ἡ κατὰ πάντα ἀρχὴ καὶ ἐξουσία τῶν τε χερσαίων καὶ ἐνύδρων καὶ ἐναερίων ζώων κεχάρισται. βραχὺ μὲν ἀποβέβηκε τῆς τῶν ἀγγέλων ἀξίας, διὰ τὴν πρὸς τὸ γεῶδες σῶμα συνάφειαν. τὸν μὲν οὖν ἄνθρωπον ἐποίησεν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ, πυρὸς φλόγα, ἀλλ' ὅμως ἡ γε τοῦ νοεῖν καὶ συνιέναι τὸν ἑαυτῶν κτίστην καὶ δημιουργὸν δύναμις, καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις ὑπάρχει. ἐνεφύσησε γάρ φησιν εἰς τὸ πρόσωπον, τουτέστι, μοῖραν τινὰ τῆς ἰδίας χάριτος ἐναπέθετο

Baſil. in pſal. 48.

τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα τοῦ ὁμοίου ἐπιγινώσκῃ τὸ ὅμοιον. ἀλλ᾽ ὅμως ἐν τιμῇ ὢν τηλικαύτῃ, ἐκ τοῦ δεδημιουργῆσθαι κατ᾽ εἰκόνα τοῦ κτίσαντος, ὑπὲρ οὐρανόν, ὑπὲρ ἥλιον, ὑπὲρ τὰς τῶν ἀστέρων χορείας τετιμημένος. τίς γὰρ τῶν οὐρανίων εἰκὼν εἴρηται τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου. ποίαν δὲ εἰκόνα σώζει ὁ ἥλιος τοῦ κτίσαντος. τί ἡ σελήνη, τί οἱ λοιποὶ ἀστέρες. ἄψυχα μὲν καὶ ὑλικά, διαφανῆ δὲ μόνον τὰ σώματα κεκτημένοι, ἐν οἷς οὐδαμοῦ διάνοια. αἱ προαιρετικαὶ κινήσεις. οὐκ αὐτεξουσιότητος ἐλευθερία. ἀλλὰ δοῦλά ἐστι τῆς ἐπικειμένης ἀνάγκης, καθ᾽ ἣν ἀπαραλλάκτως ἀεὶ περὶ τὰ αὐτὰ ἀναστρέφεται. ὑπὲρ οὖν ταῦτα ταῖς τιμαῖς προηγμένος ὁ ἄνθρωπος, οὐ συνῆκεν, ἀλλὰ καταλιπὼν τὸ ἕπεσθαι θεῷ, καὶ ὁμοιοῦσθαι τῷ κτίσαντι, δοῦλος γινόμενος τῶν παθῶν τῆς σαρκός. Hoc eſt, Magna res eſt homo, & quid valde pretioſum, vir miſericors, ait Salomon. Magna profectò ac pretioſa res eſt, ſi eius exordium primigeniúmque ingenium, ſiue naturalē præparationem reſpicimus. Quid enim aliud eſt in terra effictum ad Creatoris imaginem, aut cuínam, quæſo alij poteſtas data eſt, conceſſúmque ſuper omnia terreſtria, aquatiliáq; & aëria animalia imperium? Paulò minùs ab Angelis

lis imminutus eſt propter terreni corporis coniunctionem. Nã ipſum hominem quidem ex terra fecit Deus, & miniſtros ſuos flammam ignis: virtutem tamẽ, qua autorem ſuum intelligeret, & cognoſceret, addidit. Inſufflauit enim in faciẽ: hoc eſt, parte aliqua propriæ gratiæ imbuit hominem, vt in ſimili ſimilem cognoſceret. Nam hæc Dei imago quantùm referat, ex eo deprænhendere licet, quod ea de cauſa idem homo cœlo, ſoli, ſtellis omnibus honore prælatus eſt. Quódnam enim cœlũ eſt, aut quęnam illa eſt ſphæra, quæ altiſsimi Dei, aut poſſit aut debeat dici imago? Sed qualem Sol, planetarũ ſtellarúmque omnium lucidiſſimam ſeruatoris ſeruat imaginem? Quid præterea ad hunc luna, quid aſtra reliqua? Inanimata quippe ac materialia tantùm pellucidáque corpora retinent, in quibus nequaquam mens eſt, non voluntarius motus, non arbitrij libertas, ſed inſtantis neceſſitatis ſerua, eidémq; vel maxime obnoxia ſunt, per quã quoque perpetuo motu circa eadem indeſinenter verſantur. His itaque omni-

bus homo dignitate præpoſitus Deum non intellexit: quin potiùs viam Dei relinquens, nec ſe ei ſimilem reddere curãs, perturbationum, affectuúmque ſeruus factus eſt. Hæc ille. Cuius verba ſi aliquãdo expenderet Epicureus, ſe fortaſſe pœniteret, aut puderet ſuæ impurioris vitæ, per quam factum eſt, vt exuta virili dignitate factus ſit rationis expers, iumento, lutóque amicæ ſui perſimilis.

Quòd Deus animam ſtatim ſuæ creationis initio ſpiritus ſanctificatione, qua nihil pulchrius aut diuinius eſt, exornauerit.

CAP. V.

NOn ignorauerũt quidam illuſtres philoſophi, vt primo libro diximus, hominis mentem ad Dei imaginem & ſimilitudinem conditam fuiſſe, quæ res fecit, vt eam vocarent beatæ naturæ expreſſionem, abſciſſionem aut radium, eo propè modo quo Moſes vocauit afflatum. Dicit enim Deum in hominẽ

inſuf-

inſufflaſſe vitæ ſpiraculum. Philo Iudæus ſcribit Moſem dixiſſe eã quæ ſupra nos eſt, imaginem Dei, quæ autem noſtra eſt, imaginis ſimulachrum. ἐποίησε γάρ, φησιν, ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, οὐκ εἰκόνα ἀλλὰ κατ' εἰκόνα. ὥστε τὸν καθ' ἕκαστον ἡμῶν νοῦν, ὅς ἐστι καὶ πρὸς ἀλήθειαν, κυρίως ἄνθρωπος ἐστὶν, τρίτον εἶναι τύπον, ἀπὸ τοῦ πεποιηκότος. Fecit enim, inquit, Deus hominem, non imaginem, ſed ſecundùm imaginem. Quò fit vt ſinguli cuiúſque noſtri mens (quæ nimirum propriè veréque homo eſt) tertia ſit expreſſio ab eo qui fecit. Sed Philoſophi non cognouerunt hominis animum cum ſanctificatione ſpiritus creatum, qua eum Deus ſua bonitate illuſtrauit & exornauit. Quod ita eſſe Cyrillus Chriſtianus theologus intelligit per hæc Moſis verba, inſufflauit in hominem ſpiraculum vitæ. Quæ eſt enim Dei inſpiratio, niſi ſpiritus ſancti ſanctificatio? Hæc autem prima eſt animi noſtri pulchritudo, quam pernicioſa mandati Dei tranſgreſsione amiſerunt primi noſtri parentes. Dominus autem Deus ſua pietate & beneficentia eandem.

Philo. in lib. quis ſit hær. rer. diuin.

nobis per filium ſuum reſtituit. Quomodo autem reſtituerit, & quomodo per eã rurſus renouemur, originalique pulchritudine exornemur res ipſa poſtulat vt explicemus.

Reſtituta nobis per filium Dei ſpiritus ſanctificatione, credentium animos denuo renouari, ac regenerari.

CAP. VI.

AMiſſa igitur ſpiritus ſanctificatione primorum parentum culpa, cœpit turpis & deformis hominis animus fieri, donec miſeræ ſortis eius miſertus Dominus, filium vnigenitum pro nobis morti traderet, vt eius merito, Dei ſpiritu iterum regigneremur, ac penitus renouaremur. Itaque apparuit, vt inquit Paulus, gratia Dei, & Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti,

Tit. 2.

Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Mundauit autem nos ſanguine proprio, mundatos ſpiritu ſuo nouos fecit, primigeniæque ſpiritus ſanctificationi reſtituit. Atqui par fuit, vt qui naturalis Dei imago erat, nos ad eam, ſecundùm quam creati ſumus, imaginem reformaret. Sed & neceſſe fuit, vt qui nunquam hac ſpiritus ſanctificatione, etiam qua homo fuit, caruit, eadem nos in nouum hominem, nouus homo recuderet. Hoc autem ſolum præſtare potuit Christus Ieſus. Nam quia (vt ait Cyrillus) ſolus homo Chriſtus, in terra peccatum non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius, quaſi radix initiúmque eorũ poſitus eſt, qui ad corporis incorruptionẽ, nouitatémq; vitæ in ſpiritu reformantur. Hoc ſciens diuinus Paulus ita ſcribit. Quẽadmodum portauimus imaginem terreni, portabimus etiam imaginem cœleſtis. Imaginem terreni hominis vocat Paulus, procliue illud noſtrum à la-

Cyril. de recta fide.

1. Cor. 15.

bore ad libidinē ingenium, ipſámq; quæ inde adiecta eſt, mortem. Imaginem autem cœleſtis, firmitatem ad ſanctificationem, & ex morte ac corruptione reditum ac renouationē, ad incorruptionem & vitam. Hanc futuram renouationem præuidiſſe videtur Moſes, cùm in Iſraëlitas à Dei gratia, veráque religione remotos, his verbis inueheretur. Vtinam ſaperent ac nouiſſima prouiderent. Dolebat ſancto Prophetæ, Iſraëlitas tandem hac ſancta ſpiritus ſanctificatione, ſuo merito priuatum excluſúmque iri, nec eadē futuris ſeculis, vt gētiles homines, concluſum iri. Sed de hac ſanctificatione, prima animi pulchritudine, hactenus dictum. Nunc de pulchritudine, quæ ex virtute, animis noſtris innaſcitur, dicendum.

Quis ex virtutibus decor quæratur animo.

CAP. VII.

QVi hanc ſpiritus ſanctificationem, cuius proximè meminimus, conſequi volet, fide primum nitatur oportet, qua accedat ad Deum. Verùm quia negocioſam fidem eſſe neceſſe

ceſſe eſt, quandoquidem ocioſa fides planè inutilis eſt,bonis operibus ſedulam cũ operam innauare neceſſum eſt, diligentiúſque complecti charitatem. Tũc enim demum illius fides viua,commodáque & ſalutaris erit,cùm hæc per huiuſmodi officioſam charitatem negotiabitur, edétque & proferet fidei fructum. Quod certè fieri nō poterit ſine Dei gratia,cuius ope, Dauid decori ſuo, id eſt,pulchritudini, *Pſal. 29.* quam prima creatione acceperat, additã virtutem fatetur. Præſtitiſti, inquit, decori meo virtutem. Pulchri equidem ſumus omnes ſecundùm naturam: debiles autem facti ſumus ob peccatum per inſidias ſerpentis admiſſum. Quare ſumma ope nitendum eſt, vt carne in ſeruitutem redacta, bonis operibus animum noſtrũ excolamus,vberémque fidei eius, quæ in nobis eſt,fructum proferamus. His modis antiquæ dignitatis pulchritudiníſque gradum animus recuperabit, ſolitóque ſplendidior facies eius refulgebit. Quæ autem ſit animæ facies, & vnde illius ſplendor, vultúſque ſerenitas procedat,

ſequenti capite dicturi ſumus.

Vnde facici animæ venuſtas & decor.

CAP. VIII.

VT omnem piè ſanctéque viuentis animæ pulchritudinem explicemus, in ſingularum animæ partium venuſtatem, decorũq; inquiramus. Hoc tamen eo dictum nolumus, vt ſectilem in partes animam dicere exiſtimemur, ſed quòd illa ſuis potentiis velut quodam membrorũ adminiculo, ad actiones ſuas vtatur. Eadẽ ratione ſenſus quoque ſuos, etiamſi corpore abiuncta ſit, habere dicitur, minùs tamen vt quidam volunt explicitos. Illa enim reconditos in ſe ſenſus omnes, viréſque ſuas per corporis organa exerit. Facies ergo animæ, eſt illa virtutum omnium mater ratio, illúdque diuinum lumen, quo Deus animum noſtrum nobilitauit. Ob hanc ſolam ad Dei imaginem ſimilitudinémque conditi dicimur. Hac tantùm à brutis animantibus diffe-

differimus, Deóq; συγγενέστεροι καὶ θειότατοι ſumus. Hæc affectionum, perturbationúmque omnium Domina, laſciuos petulantéſque appetitus coërcet, ſibíque parere cogit. Hæc quicquid in animo tumultuoſum, quicquid turbulentum vultu ſuo ſerenat, facítque vt vbi dominatur, ibi virtute viuatur. At vbi virtute viuitur, ibi læta, trãquilla, pulchráque ſunt omnia. Hæc pulchra animæ facies, ſi ſe fidei, charitatis, ſpeíque monilibus exornauerit, id certè faciet, vt animus Chriſtũ induat, Deíque templum efficiatur. Pulchrum enim pulchro, ſibíque ſimili delectatur. At pulchra decoráque eſt omnis anima, quæ in ſymmetria propria virtutum, & harmonia ſibi congruenti conſpicitur, cuiúſve facies fide & charitate, vt diximus, velut aureis, precioſiſque monilibus exornatur. Pulchritudo autem vera, & deſideratiſsima, & ſola mentis purgatione contemplabilis, circa beatam verſatur naturam, cuius per gratiam Dei aliquantùm particeps efficitur anima, anima, inquam, veluti ex rei fulgentis obie-

ctu,ſplendorem aliquem ingentem referens. Sicut enim Moſes, eo maximè tempore, quo cum Deo conuerſaretur, pulchritudinis Dei, quo ad ſpeciem vultus, quadã tenus viſus eſt particeps, ita & beatæ naturæ, qui cum verſatur pulchritudo illa, quam proximè diximus, particeps Dei gratia efficietur, quicunque rerum cœleſtium contemplationi ſe dedet, Deíque legem meditabitur die ac nocte, vt canit Dauid. Hoc, ni fallor, dicere voluit Baſilius Magnus paucis immutatis, dum de deſideratiſsima & vera animæ pulchritudine hunc in modum loqueretur.

Baſil. in pſal. 29. καλὴ μὲν οὖν πᾶσα ψυχὴ, ἡ ἐν συμμετρίᾳ τῶν οἰκείων δυνάμεων θεωρουμένη. κάλλος δὲ ἀληθινὸν καὶ ἐρασμιώτατον, μόνῳ τῷ τὸν νοῦν κεκαθαρμένῳ θεωρητὸν, τὸ περὶ τὴν θείαν καὶ μακαρίαν φύσιν. οὗ ὁ ἐνατενίσας ταῖς μαρμαρυγαῖς καὶ ταῖς χάρισι μεταλαμβάνει τι ἀπ' αὐτοῦ, ὥσπερ ἀπό τινος βαφῆς αἴγλην τινὰ ἀνθηρὰν εἰς τὴν οἰκείαν ὄψιν ἀναχρωννύμενος. ὅθεν καὶ μωυσῆς τῷ μετειληφέναι τοῦ κάλλους ἐκείνου ἐν τῷ ὁμιλεῖν θεῷ, ἐδοξάσθη τὸ πρόσωπον. Vide ergo quantum ſplendoris ex animi pulchritudine vnde-

vndequaque promicet, quantus ex facie decor, quāta ex vultu illius ſerenitas procedat. Sed non in facie tantùm, verùm in cæteris quoque membris magna pulchritudo conſpicitur. De hac igitur, quæ in membris animi eſt pulchritudine, operæ precium eſt vt pauca delibemus.

Quæ in animæ membris pulchritudo.

CAP. IX.

SAlomon in diuino illo Canticorum cantico ſponſum introducit, qui ſic ſponſæ ſuæ pulchritudinem laudat, vt nullum membrum prætermittat, quin illud ſpeciali quodam elogio illuſtret. Ceruicem ſponſæ ſpecioſam dicit, vt redimicula, per hæc ſcilicet ceruicis ornamēta, obedientiam denotans, qua ſe Deo ſubiicit, ſummittitque vnaquæque pij fideliſque hominis anima. Genas turturibus ſimiles canit, per has nimirùm aues, ſponſæ honeſtatem & verecundiam deſignans. Sponſam præterea columbinis

oculis eſſe gaudet, eique huiuſmodi oculos accommodatiſſimè attribuit. Columba enim inditium ſpiritus ſancti eſt. At, vt inquit Origenes, columbarum oculos habere, eſt legem & Prophetas, non iuxta literę, id eſt, carnis ſenſum, ſed potius iuxta ſpiritum, id eſt, ſpiritali ſenſu intelligere. His oculis anima contemplatrix freta, intelligẽtiam ſpiritualium myſteriorum penetrat, profunda ſenſa ex ſcripturis eruit, obtutúſque ſuos etiam defigit in cœlum. His oculis carent Epicurei homines. Talpinis enim oculis ſunt, & idcirco in terra ſemper proreptãt, nihílque reſipiũt, quod non carnale ſit & terrenum. At qui columbinis oculis ſunt, ſic animum à carne extrahunt, vt omnis eorum & mens & cogitatio & conuerſatio ſit in cœlis. Impedit tamẽ, negotiúmque haud paruum nobis facit corruptibile hoc noſtrum corpus, quod Triſmegiſtus meritò veſtem, indumentúmque inſcitiæ vocat, prauitatis fundamentum, corruptionis vinculũ, velamen opacum, viuã mortem, ſenſitiuum cadauer, ſepulchrum circunuertile, do-

Orige. in can. cantic. cap. 4.

Merc. in Pimand.

domeſticúmq; furem, furem inquam, qui dũ blanditur odit, dũ odit inuidet. Sed & ad ſeipſum, te deorſum raptitat, ne fortè columbinis oculis veritatem, animæque tuæ dignitatem pulchritudinémque conſiderans, proximúmque bonum conſpiciens, eiuſdẽ corporis oderis prauitatem, inſidiáſque quas in te fabricatur, ac malum quod contechnatur, præſentiſcas: quod vt ne fiat, aciem interiorum ſenſuũ hebetat & obtundit, eámque craſſa materia ſuffocat, abominabili inſuper & faſtidioſa voluptate inebriat, adeò vt nec audire poſſis nec percipere, quæ iure audiẽda, & quę imprimis perſpicienda ſunt. πρῶτον δὲ δεῖ σε περιῤῥήξασθαι, ὃν φορεῖς χιτῶνα, τὸ τῆς ἀγνωσίας ὕφασμα, τὸ τῆς κακίας στήριγμα, τὸν τῆς φθορᾶς δεσμόν, τὸν σκοτεινὸν περίβολον, τὸν ζῶντα θάνατον. τὸν αἰσθητὸν νεκρόν, τὸν περιφορητὸν τάφον, τὸν ἔνοικον λῃστὴν, τὸν δι' ὧν φιλεῖ μισοῦντα, καὶ δι' ὧν μισεῖ φθονοῦντα. τοιοῦτός ἐστιν, ὃν ἐνεδύσω ἐχθρὸν χιτῶνα, ἄγχων σε κάτω πρὸς αὐτὸν, ἵνα μὴ ἀναβλέψας καὶ θεασάμενος τὸ κάλλος τῆς ἀληθείας, καὶ τὸ ἐγκείμενον ἀγαθὸν, μισήσῃς τὴν τούτου κακίαν, νοήσας αὐτοῦ τὴν ἐπιβουλὴν, ἣν ἐπεβούλευσέ σοι τὰ δοκοῦντα

μοι τὰ νομιζόμενα αἰσθητήρια ἀναισθητὰ ποιῶν, τῇ πολλῇ ὕλῃ αὐτὰ ἀποφράξας, καὶ μυσαρᾶς ἡδονῆς ἐμπλήσας, ἵνα μήτε ἀκούῃς περὶ ὧν ἀκούειν σε δεῖ, μήτε βλέπῃς περὶ ὧν βλέπειν σε δεῖ. Exuenda igitur illa veſtis quam circũferimus, id eſt, exuẽdus eſt homo vetus qui corrumpitur, nouúſque induendus qui in horas renouatur, ſi nos columbinis oculis altiſſima ſcripturarum ſenſa penetrare voluerimus.

Quæ in ſenſibus animæ perfectio.

CAP. X.

VT in animæ membris magna elucеſcit pulchritudo, ita & in piç, fideliſque animæ ſenſibus mirabilis eſt perfectio. Sua enim membra, ſuóſque ſenſus habet anima. Videt ergo & audit, tãgit, guſtat & oderatur, videt autem non corporis oculis modò, ſed internis quoque, quibus cœleſtia contemplatur. Quo fit vt longé externo illius oculo internus ſit præſtantior. Nam quanuis maximorũ montium, inexpletíque ac infiniti maris, ad

adhæc, cœli ipſius imago, breui pupillæ noſtræ menſura contineatur, multò tamen maiora præſtantioráque, viſione ſua intimus oculus aſſequitur. Hoc autem ingenium illius eſt, vt plerunque obtuſa acie ſit, niſi animus ab exteriorum contemplatione ſeſe abduxerit. Quod dum fit, ſubitò oculos ad lumen illud, quod intellectus ſui lumen eſt, conuertit, tandémque non luminoſus modò, ſed lumen quoque efficitur. In intellectũ enim diuinum, atque adeò in lumen illud luminum omniũ, pulchrúmque pulchrorum omnium euadit & tranſit. Magna ergo vis intimorum oculorum eſt, quos à patre luminum illuſtrari ſæpè precatur Dauid. Domine, inquit, illumina tenebras meas. Domine, illumina oculos meos, ne vnquã obdormiam in mortem. Paulus quoque Epheſiorum oculos à patre gloriæ, Domino Deo illuminari exoptat. Vt Deus, inquit, Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapiẽtiæ & reuelationis, in agnitione eius illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis

Pſal. 19.
Pſal. 12.
Epheſ. 1.

quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis, & quæ ſublimis magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus ſecundùm operationẽ potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis. Sed vt ad alios animę ſenſus trãſeamus, nunquid bene inſtituti hominis animus, habet verbum Dei quod audiat, quóve recreetur & nutriatur: cibum quem tangat, quem comedat, quóve fruatur & alatur? Siquidem habet panem vitæ, id eſt, Chriſti Ieſu corpus, quo cibo nec melior nec diuinior optari, ſed ne cogitari quidem poteſt. Sanguinem Chriſti habet, quo affectus ſui ad res huius ſeculi auidioris, ad voluptatémque procliuioris ſitim feruorémque extinguat, habet & aquas in vitam æternam ſalientes, quibus ventrem abundè alat & ſatiet. Sed nec deſunt animo ſua vnguenta, quorum odore recreetur. Chriſtus enim piis & fidelibus omnibus odor vitæ æternæ eſt. Habet & animus nardum ſuam, quæ odorem effundit diuinę ſuauitatis. Habet denique

nique myrrham & balſama ſua, id eſt, diuini verbi fragrantiam, qua mirũ in modum delectetur. De hac autem nardo, myrrha, vnguentis, & balſamis plura in commentariis noſtris in canticum canticorum dicturi ſumus.

Magnam pulchritudinis acceßionem animæ fieri ex ſpiritus ſancti dotibus.

CAP. XI.

NEque verò illud paruum pulchritudinis animæ incrementum eſt, quod illi ex ſpiritus ſancti dotibus accreſcit. Nam quibus, quæſo, precioſioribus ornamentis coli poterit Chriſti Ieſu ſponſa, id eſt, omnis pij fideliſque hominis anima, quàm ſacris ſpiritus Dei chariſmatibus? Nihil enim ad hæc diuina dona, ſunt aurea monilia, torques aurei, lapilli precioſi, & quæcunque mũdus hic habet ac putat pretioſa. In his autem dotibus æſtimatur plurimi ſapientiæ ſermo, & ſcientia: quę dona, Dei ſapientia Chriſtus Ieſus ex immenſo ſuo theſauro libe-

raliter explicat ad ſponſæ ſuæ ornatum, quam ſedulò per ſanctum, bonum, principalem, viuificantem, omniáque ſcientem ſpiritum ſuum exornat, ad diuináſque præparat nuptias. Eſt enim ſpiritus ſanctus donorum Dei diſpenſator. Pater autem in eos qui operationum ſuſceptione digni ſunt, operationes diuidere dicitur. At filius in dignitatibus miniſterij, miniſtrationes diuidit, gratias in eos, qui ad ſuſcipiēdū illas digni ſunt, diuidēte Spiritu. καὶ ὥσπερ διαιρεῖν τὰ ἐνεργήματα εἰς
Lib.3. de ſp. ſ. contra Enno. τοὺς ἀξίους τῆς ὑποδοχῆς τῶν ἐνεργημάτων ὁ πατὴρ λέγεται, καὶ διαιρεῖν τὰς διανοίας ὁ υἱὸς ἐν τοῖς τῆς διακονίας ἀξιώμασιν, οὕτω διαιρεῖν καὶ τὰ χαρίσματα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον εἰς τοὺς ἀξίους τῆς τῶν χαρισμάτων ὑποδοχῆς, μαρτυρεῖται, inquit Baſil. Magnus. Quod ſatis ex Paulo probatur, quādo dicit, Diuiſiones gratiarum ſunt. Idem autem ſpiritus, & di-
1. Cor. 12. uiſiones miniſtrationum ſunt. Idem autem Dominus, & diuiſiones operationū ſunt. Idem autem Deus eſt, qui operatur omnia in omnibus. Ergo à Patre, à filio, & ab ipſo quoque ſancto ſpiritu ſponſa

hæc

hæc pulchrè colitur & ornatur, vt immaculata, elegantérque ornata regis æterni nubat filio, eodémque perpetuò fruatur. O mirabilem ſtupendámque Dei in homines bonitatem. Hæc anima priùs mortua ob delictum erat, & ecce Dei beneficio nunc viuit. Turpis & deformis erat: nunc autem tota pulchra, tota immaculata conſpicitur: vilis erat & abiecta, & ecce nunc patri ſuo, creatori ſuo, Domino ſuo, Deo quoque ſuo, ſtabili cõiugio coniungitur. Ecquid, quæſo, maius ad tantæ dignitatis pulchritudiníſque cumulum accidere poterit?

Veſtibus & fimbriis aureis reginæ, cuius Dauid meminit, magnam animæ pulchritudinem notari.

CAP. XII.

EXplicatis ſpiritus ſancti donis, quibus dotata, inſignitáque eſt omnis pia fidelíſque anima, nunc dicẽdum quomodo his gratiis ad præclaras actiones vſura ſit. Non enim ſufficit animam

fide prędítam eſſe, niſi fidei fructus ſedulò proferat, ſéque id eſſe quod eſt & dicitur, re ipſa actionéque comprobet. Veſtis ergo illa, qua ornatam ſponſam & reginam canit Dauid, fides eſt, virtute præclaríſque actionibus referta. Hæ autem actiones per aureas armillas notantur. Per aurum enim virtutem in ſacris literis plærunque intelligimus. Hinc illud Pauli, Siquis ſuperædificat ſuper hoc fundamẽtũ, aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, &c. per quas materias virtutem, vitiúmque intelligit Paulus. Hanc igitur veſtem auream ſuæ ſponſæ Chriſtus texuit, quando illam per baptiſmum lauit, ſuíque ſpiritus gratiis exornauit. Quicunque igitur hanc veſtem induit, Chriſtum induit. At Chriſtum induerunt quotquot in Chriſtum baptiſati ſunt, idipſum atteſtãte Paulo. Quotquot, inquit, in Chriſtum baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis. Sed Chriſtum nemo nuda fide induit: Polymitis enim aureis ſiue deauratis interſertionibus, vel Phrygionicis veſtibus ſponſam ornatam eſſe

1.Corin.3.

opor-

oportet, id eſt, variis virtutibus fideíque actionibus gratiam quam à Deo accepit, notam illuſtrémque omnibus facere. Ex hac enim re non ſolùm magna pulchritudinis acceſsio animę fiet, ſed magnus quoque inde laudis prouentus accreſcet. Qui verò hoc ipſum facere neglexerit, ſimilis erit ei, qui vocatus quidem inuitatúſque fuit ad nuptias, ſed cum magno ſuo malo. Nam ligatis pedibus & manibus ad exteriores tenebras præcipitatus eſt. Carebat enim veſte nuptiali, id eſt, non erat indutus viſcera miſerationum, fraternitatem, benignitatem: negocioſæ charitatis, ſtudioſæque actionis carebat indumento. Tantæ ergo cœnæ támque ſanctæ & beatæ ſocietatis indignus habitus eſt. Erat tamen ad cœnam ſocietatémque huiuſmodi aduocatus.

Quur ergo repulſus, atque in exteriores tenebras relegatus? Quia nimirum ipſa vocatio, ipſáque purgatio, quæ ex gratia ſunt, minimè ſufficiũt, ſed danda eſt opera, vt nos, qui vocati, & per baptiſmũ purgati, veſtéque candida induti ſumus, non com-

committamus, vt vitiis coinquinemur, ab eóque,cui priùs nomen dedimus, deficiamus, ac tandem diabolo per peccatũ mãcipemur. Fœlicem ergo animam quæ nihil ſordis, ad hanc, quam à Chriſto accepit veſtem, adiunxit, ſed ita in virtute, præclaríſq; fidei actionibus perſtitit, ídq; pro viribus egit, vt cum ſponſo non ſolùm accubuerit, ſed ei quoque ſtabili, perpetuóque connubio fuerit copulata.

Animam ſponſam Chriſti & reginam, Deíque filiam dici, ex quo ſumma eius & nobilitas & pulchritudo ſignificatur.

CAP. XIII.

SVmma animæ dignitas, magnáque eius nobilitas, ex iis etiam quæ proximè dixim⁹, multis nominibus colligi poteſt. Primum quòd regina dicatur. Nã quî fieri poteſt, vt regina nõ ſit, quæ legitima ſponſa regis eſt? Aut quomodo non nobilis erit, quæ tot gratiis dotata, ei, à quo generoſitas, nobilitáſque omnis hactenus emanauit, coniungitur. Quomodo non erit pulcherrima, quæ omnium pul-

pulcherrimo, imò verò ipſi pulchro & ſuper pulchro, vnione indiſſolubili vnitur? Coniugem ſuam ingenuus & liber nobiliſque vir, ingenuam, liberam nobilémque reddit: Et Chriſtus Ieſus libertatis, nobilitatíſque autor, animã ſponſam ſuã, non liberã faciet, ac nobilitabit? Regina ergo & nobilis erit anima, quę deo totius mundi regi, & ei quidẽ nobiliſſimo, potentiſſimo rerúmq; omnium pulcherrimo deſponſatur? Expergiſcere ergo Epicuree porce, & vide quàm te tanta dignitate, tantíſque titulis indignum feceris. Quomodo enim anima tua regina, ſponſa, & filia Dei dici poterit, quæ ſic vixerit, vt per impuriorem ſuam vitam, non iam homo, ſed brutum dici meruerit? Hîc etiã aduerte, ô peccator, qui à Chriſto Ieſu ad diabolũ defeciſti, à quo dignitatis nobilitatíſq; gradu excideris. Redi igitur quàm citiſſimè fieri poterit in viam, vt ne callum, ſtylúmque in peccatis obducas, ne forte anima tua ex regina, ſpoſáque Chriſti, & filia Dei, mancipium efficiatur Diaboli, impudénſq; meretrix habeatur. Sed

vt ad rem reuertamur, quid quæſo, maius his quę proximè dicta ſunt, à Deo optimo expectare deſideraréque anima potuerit? Ecquod maius aliud dignitatis nobilitatíſque faſtigiũ eſt, ad quod hominis anima pertingere, ſublimaríque vnquam deſiderauerit? Quod ſecum reputans valdéque admirans Chryſoſtomus, ita in Pſalmũ Dauid 44 ſcribit. Vidiſti, inquit, vidiſti inſignem honorem, ſummámque dignitatem eius, quæ cõculcata, & in infimum locum deturbata fuerat, vidiſti inquam, in quantam eam Deus extulerit altitudinem vt ei aſſiſteret. Erat quõdam captiua, alienata, meretrix, ſcelerata & execranda. Et ecce cognouiſti ad quantam dignitatem aſcenderit, quando cum miniſtratoriis adſtitit. Filius enim, vt qui ſit honore æqualis, ſedet à dextris, ipſa verò ſtetit. Quamuis enim ſit regina, eſt tamen creatæ ſubſtantiæ. Quomodo ergo dicit Paulus, Conreſuſcitauit & cõſidere eos fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu? Sed attende quàm exactè rem ipſam tenet, quámque prudenter veréque

Epheſ. 2.

loqua-

loquatur. Non dixit tantummodo Conreſuſcitauit & conſidere fecit, ſed in Chriſto, hoc eſt, per Chriſtum. Hæc Chryſoſtomus in eundem pſalmum, exponens illud, Aſtitit regina à dextris eius. Ex cuius verbis apertè cognoſcimus, ad quod dignitatis honoríſque faſtigium animam ſublimarit Deus, qui ex turpi pulcherrimam, ex vili & abiecta reginam, ipſámque adeò ſponſam ſibi, ex inope, ſpiritus ſui donis, ſacríſque opibus ditiſsimam, ex infœlice & miſera fœliciſsimam ac beatiſsimam reddiderit. Sed videamus quomodo anima ſponſa & filia eiuſdem & eſſe & dici poſsit. Vetant enim diuina humanáque iura, quin & ipſa repugnat natura, vt filia, patris ſui ſponſa ſit. Quare fateri nos ingenuè oportet hoc corporeis rebus ineſſe non poſse, ſed hîc nihil ſenſile, nihil corporeum exiſtimandum, ſed ne ſuſpicandum quidem eſt. hîc enim ſpiritales nuptiæ, ſpiritaliáque tractãtur ſpõſalia. Filia ergo dicetur, quòd eam filius Dei verbum, creauerit, creauerit autem ad imaginem Dei, vt ſcilicet eſſet cogna-

tiſsima & familiariſsima Deo. Quod vt in multis locis, ita in Cantico ſuo apertè Deut.32. oſtendit Moſes, quando dicit: Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui. Et nos quoque Chriſti Ieſu merito multis nominibus Deũ Patrẽ noſtrum dicimus. Rurſus filius Dei, animæ pater fuit, quando factus homo, eam diabolicæ ſeruituti mãcipatam, ſanguinis ſui pretio redemit, ínque veram libertatem aſſeruit, ſed & eandem per baptiſmum regenerauit. Renatam verò vt quid ſibi ſimile haberet quo delectaretur, vnicam ſibi deſponſauit. Itaque quæcunque ſunt piæ & ſanctæ animę, ſponſæ Chriſti Ieſu ſunt, quod apertè oſtendit 1.Cor.11. Paulus, quando ad Corinthios ita ſcribit, Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Magna igitur animæ dignitas, magna quoq; nobilitas immenſáque eius pulchritudo, quòd & filia & ſponſa Dei ſit, quódque à Chriſto Ieſu rege, regina eſſe dicíque meruerit. Facit rurſus ad illius dignitatem & nobilitatẽ, quòd eam pluris quàm Angelos fecerit

Deus,

Deus, quòd illius ergô mundum creauerit, quòd angelos ſuos ad animæ cuſtodiã amandauerit, quòd filium ſuum vnigenitum pro illius redemptione morti tradiderit, quòd legem ſacráſque ſcripturas in ſalutem & eruditionem animorum omnium per ſanctos Prophetas Apoſtolóſque ſuos ſcribi nobíſque relinqui voluerit, quòd denique omnia quæcunque hactenus acta ſunt eo animo feciſſe videatur, vt hanc animam, quam vnicam ſuam in Cantic. Canticorum vocat, ſponſam ſibi haberet, eámque haberet in delitiis.

Animam Deo ſimilem fieri.

CAP. XIIII

QVanquam hominis anima ad Dei imaginem facta ſit, Deo tamen minimè ſimilis eſt, niſi vitæ ſanctimonia ac innocentia primigeniæ naturæ ſuæ reſtituatur. Ad quod valde neceſſaria Dei cognitio, quam nos ſuperius

ex Triſmegiſto pietati coniunctam, imò veró ipſam pietatem eſſe diximus. Nam qui Deũ cognoſcit bonis omnibus refertus eſt, diuináſque notiones aſſequitur lõgè aliis præſtantiores. εὐσέβεια δ' ἐστὶ θεοῦ γνῶσις, ὃν ὁ ἐπιγνοὺς πλήρης γενόμενος, πάντων τῶν ἀγαθῶν τὰς νοήσεις θείας ἔχει, καὶ οὐ τοῖς πολλοῖς ὁμοίας. Fieri enim nõ poteſt, vt qui pulchrum ipſum, id eſt, Deum cognoſcit, illud non diligat, eo non capiatur, in ídq; nõ incumbat, vt eo fruatur & exſatietur. Priùs autem quàm eo frui poſſit, ſimilem eum Deo fieri oportet: quod rationis ſuæ virtute aſſequi non poterit, niſi Deũ ſemper ſibi prę̨ſtitem aſtitémq; habuerit. Sed ne nos quidem veritatem cognoſcere, diuináq; dogmata humana virtute aſſequi poſſumus, abſque ſpiritus illuminatione. Excedunt enim mentẽ hominis vt doctè ſcribit Cyrillus, diuina myſteria, ingénſque donum eſt Chriſtum cognoſcere. Vnde Petrus ille qui verè filium Dei viui Chriſtũ fuit confeſſus, illico audiuit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis

Cyril in Io. cap. 17.

guis nõ reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cœlis. Conandum eſt tamen pro animæ noſtræ viribus, eiúſque, quam à Deo accepit libertate, ſimiles nos Deo facere, quod certè Deo opitulante multis modis à nobis fieri præſtaríque poterit. Nam ſi quis oſor mali fuerit, non acceptæ iniurię nec heſternæ quidem inimicitiæ memor, ſed potius amicorum ſimul & inimicorũ amator, alienæque cõdolens miſeriæ, ille nimirùm ſimilis Deo erit, ſed & ſi remiſerit inimico ex corde, ſi eodẽ miſericordiæ affectu erga fratrẽ ſuũ à quo læſus eſt vtatur, quo bonus & miſericors Deus erga nos peccatores quotidie vtitur, ſimilis quoq; Deo erit. Illud enim quòd ad imaginem Dei conditi ſumus, ex ratione habemus. Ad ſimilitudinem verò Dei formabimur, ſi bonitatis affectum induerimus. Si bonitatem & comitatem, miſerationis viſcera nobis aſſumpſerimus, vt Chriſtum induamus. Quibus enim modis inquit Baſilius ſympathiam aſſumpſerimus, iiſdem & Chriſtum induemus. & *Baſil. de opif. ho. homil. 11.*

ἀγχομένην κάτω, ἡ δὲ τοιαύτη ψυχὴ τέκνον, νοῦν οὐκ ἔχει. ὅθεν οὐδὲ ἄνθρωπον δεῖ λέγεσθαι τὸν τοιοῦτον. & ſubdit, ὁ γὰρ ἄνθρωπος ζῶον ἐστὶ θεῖον, καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις οὐ συγκρίνεται τῶν ἐπιγείων, ἀλλὰ τοῖς ἐν οὐρανῷ ἄνω λεγομένοις θεοῖς. Fœlicem ergo beatámque animam, quæ ſic ſe compoſuit, ſicque vitam ſuam inſtituit, vt nihil agat ſine ratione, eáque in primis vtatur ad mandatorum Dei obſeruationem, ad bonitatē & beneficentiā, quibus ſe in omnes reddat officioſam. Nā dum hoc facit, ſe Deo quem D. Dionyſius beneficū, atque omnibus prouidētem amorē vocat, ſimilem reddit: immo verò cum eodem vnum efficitur. Quomodo autem anima vnum cum Deo efficiatur, paulò altiùs eſt dicendum.

Animam vnum cum Deo *fieri.*

CAP. XV.

Fecit ſpiritus ſancti cōmunicatio, aut vt cū Cyrillo loquar, māſio quæ primū in Chriſto fuit, & ab eo in nos peruenit, vt Deo vniremur. Chriſtus *Cyril. i cap. Ioan. 17.*

enim ſimulatque tēplum ſuum proprio ſpiritu perunxit atque ſanctificauit, origo & vita eſſe cœpit, qua eiuſdem ſpiritus facti participes ſanctificaremur, ſanctificati quoque vnionis cum Deo cauſam, id eſt, ſpiritus ſanctificationem, quam primam animæ pulchritudinem eſſe diximus, in nobis haberemus. Quare Chriſto Ieſu acceptum referre debemus, quòd ſpiritus ipſius participes, Deo vniamur, viuamúſque & ſanctificemur. Adde quòd idem Chriſtus Ieſus iuſtitia noſtra & ſanctificatio, id eſt, animæ dignitas, nobilitas & pulchritudo, vt perfectiùs arctiúſque ſibi ſponſam ſuam coniungeret, & inter nos & Deum ſingulos vniret, quendam naturalis vnionis modum Patris & ſapientiæ ſuæ conſilio congruentem inuenit. Tale autem fuit, vt hoc credentes omnes per communionem myſticam, id eſt, per corporis & ſanguinis ſui ſubſtantialem cibum & potum benediceret, & in animis noſtris æternæ vitæ, in corporibus verò futuræ immortalitatis ſemen iaceret, ſecúmque & inter nos vnum nos corpus efficeret.

ficeret. Quis igitur eos qui vnius ſancti corporis vnione ĩ vno Chriſto vniti ſunt, ab hac naturali vnione alienos putabit? Nam ſi omnes vnum panẽ manducamus, vnum quoq; corpus efficimur: cùm ſe diuidi ſeiungique non patiatur Chriſtus. Idcirco etiã Eccleſia corpus Chriſti facta eſt, & nos ſinguli, membra Chriſti ſumus, iuxta Diuum Paulum de Eccleſia, quæ à ſingulis hominibus, tanquam membris compoſitum corpus eſt, ita differentem. Vt iam, inquit, non ſimus fluctuãtes, nec circunferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circunuentionem erroris: veritatem autem facientes, in charitate, creſcamus cum illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecũdùm operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate. Ex his colligere poſſumus corporalem vnionem ad Chriſtum, participatione carnis eius nobis acquiri, ob quam v-

Epheſ. 1.

Epheſ. 4.

Epheſ. 3. nionem idem Paulus gentes vocat cohæredes, concorpores, & vt ſic loquar, comparticipes promiſsionis in Chriſto. Si ergo vt ingenioſè infert Cyrillus, omnes inter nos in Chriſto vnum ſumus corpus, nec inter nos ſolùm, verumetiam cum eo, qui per carnem ſuam ad nos trãſiuit: quomodo vniuerſi & inter nos & in Chriſto vnum non erimus? Et hæc tantùm de vnione corporali dicta ſint. Quantum autem ad ſpiritalem attinet, quis neſcit pios fideléſque Chriſtianos, ſpiritu ſancto recepto, & inter ſe quodam modo, ſimilitérque cum Deo vniri? Quanuis enim vnicuique noſtrũ Chriſtus Ieſus, Patris, ſuúmque ſpiritum diſtribuerit, indiuiſibilis tamẽ ſpiritus eſt, & diſtributus ſingulis ſpiritus in ſeipſo omnes vnit, omnéſq; quibus huiuſmodi diſtributio facta eſt, vnum in ſeipſo efficit. Et ſicut ſanctiſſimæ carnis Chriſti virtus, vnum corpus facit eos omnes, qui vnum panem vt diximus, manducant: ita & indiuiſibilis Dei ſpiritus, eos omnes in quibus inhabitat, ad ſpiritalem vnitatẽ ſimul ducit. Quod

apertè

apertè teſtatur Paulus his verbis. Suppor- *Epheſ. 4.*
tantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem in vinculo pacis: vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut & vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtrę. Vnus Dominus, vna fides, vnũ baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui ſuper omnes & per omnia & in omnibus nobis. Quòd autẽ ſpiritui ſancto ſic vniamur, optima viuendi docet ratio. Nam ſi nos animalem vitam contemnẽtes, ſpiritum à carne penitus abduxerimus, legíque ſpiritali nos omnino ſubiicientes, ſpiritum ipſum, noſtri Dominum fecerimus, videbimur ad aliam naturam transformati, mirabilémque ſuſcepiſſe conformationem habitantis in nobis ſpiritus Dei. Quo tandem fiet vt non ſolùm homines, verùm etiam Dei filij, cœleſtéſque homines, diuinæ naturæ participatione, vnũ cũ Deo effecti videamur. Ergo in Patre & filio & ſpiritu ſancto vnum dicimur: vnũ quidẽ habitudine atque affectu: vnum pietatis cõſenſu, vnum ſanctæ Christi carnis communione, vnum vnius ſancti ſpiritus participa-

tione. Quod cùm fiat dum nos adhuc in hac vita à Domino peregrinamur, hócque corruptibile corpus circunferimus, quid quæſo, futurũ putas piis animis vel corpore hoc abiunctis, vel immortali ſpiritalíque corpore incluſis, id eſt, tũ quum corpus hoc mortale immortalitatem incorruptionémque induet, atque in ſpiritus naturam tranſibit, conforméque claritati corporis Chriſti Ieſu efficietur? Hoc certè tempore tanta erit non animæ modò, ſed totius hominis pulchritudo, vt hanc nec Demoſthenis nec Tullij facundia explicare, ſed ne vlla quidem hominis mens cogitare, animóque & mente comprehendere poterit.

Amantem Dei animam in amatum Deum tranſferri, ac in cœlis velut alterum Deum in Deo fieri.

CAP. XVI.

MAgnum illud eſt, penitúſque Epicureis porcis hominibúſque atheis incognitum, quod dicturi ſumus,

ſumus, amantem ſcilicet Dei animam in amatum Deum transferri, inuincibilíque tandem amoris vi, velut alterum Deum in Deo fieri. Si enim magnus in Deum amor, inclusum in hoc mortali corpore animum rapit, exceſſúque mirabili tranſfert in amatum Deum, quid tum erit, vbi ſolutus corpore animus, aut in ſpiritali immortalíque corpore ad æternam gloriam poſitus, ipſi amori, id eſt, ipſi Deo, quem D. Dionyſius virtutem vnificam, conuertẽtẽ, commiſcẽtémque vocat, cõiungetur, eíq; ſic vnietur, vt alter Deus in Deo dici poſſit? Quid enim obſtat quò minùs alter De⁹ in deo dici debeat, cũ Deus in eo, ipſéque in Deo futurus ſit? Equidẽ Paulum legimus dum adhuc viueret, traductoria amoris vi comprehẽſum, ore diuinitus afflato proclamaſſe: Viuo autem non iam ego, ſed viuit in me Chriſtus. Ergo ſi mortalis homo Paulus, ſic ab amato Deo pulchra omnia ſibi vniente, & in ſe conuertente rapitur, vt iam ſe viuere non putet, ſed amatum potiùs in ſe: quid fiet beneficis animis, quos beneficus

amor ſibi vnierit ad ſeſéque conuerterit? Sic equidem in pulchro animam fore crediderim, vt pulcherrima ab eo effecta, pulchra omnia & viſura & habitura ſit. Deũ enim qui habet, omnia habet, omnibus fruitur, ínque eo, & ſe ipſum, omniáque contemplatur. Perfecta igitur erit anima in perfecto Deo, immortalis in immortali, incommutabilis in incommutabili, trãquilla in tranquillo, beata in beatiſsimo. Quid ergo de huiuſmodi anima aliud iã dicere poterimus, quàm quod velut alter Deus in Deo, futura ſit? Etenim
Luc. 20. Chriſtus in Euãgelio ęquales nos angelis filióſq; Dei fore dixit. Quibus verbis, magna proculdubio diuinę naturę participatione, nos à ſe nobilitatũ, & ἀποθεωσόμενον id eſt, vt ſic loquar deificatum iri prædixit. Cũ igitur ad tantã beatitudinẽ, nobilitatẽ, dignitatem & pulchritudinem animi nihil addere, ſed ne quicquã quidem ampliùs cogitare poſſimus, ſilere cogimur, finémque dicendi facere: prius tamẽ Optimum Maximum Deum obnixè precabimur, vt Epicureis, huiúſq; ſeculi atheis

atheis hominibus,quos carnis corruptio, demoníſque aſtutia in ignorantiæ abyſſum præcipitauit,meliorem det mentem, eóſque ad veritatis viam per ſpiritum ſuum reuocare dignetur: nos autem ſic ſuo ſpiritu imbuat , vt per eum ſanctificati, diuinam animæ pulchritudinem aſſequi, & in eo ſempiterno æuo perfrui poſſimus. Illi inuiſibili, immortali Deo, laus, imperium, & gloria in ſeculorum ſecula. Amen.

IOANNIS NEOVILLEI GENVILlani *De pulchritudine animi, librorum quinque*

FINIS.

LAVS DEO.

INDEX RERVM INSIGNIORVM, QVÆ IN HOC opere tractantur, iuxta ordinem Alphabeti.

A

Actiones præclaræ virtutéſque per armillas & veſtes aureas notantur, pagina, 266.
Aethera Deum *eſſe quidam crediderunt.* 54.
Amatores peccatricis animæ dæmones. 216.
Ambitus tertius mille annorum quid denotet apud Plat. 139.
Amor virtus vnifica, connectens & commiſcens dicitur. 283.
Amoris pulchritudo. 126.
Anima à prophetis dicitur menſtruata. 219.
Anima ad quem dignitatis gradum aſcenderit 272.
Anima cùm Angelis *ſolùm conferenda.* 277.
Anima curua quando dicitur. 202.
Anima cœleſtis planta. 19.
Animam augeri & minui putat Hippocrat. 56.
Animam Dei *amãtiſſimam in amatum tranſmutari.* 285
Anima homini data cũ ſpiritu ſanctificationis. 203. 248.
Anima immortalis vniformis indiſſolubilis à Plat. *probatur.* 21.

Anima opus Dei, *ibidem*
Anima noſtra imago Dei *eſt,* 206
Anima quando meretrix dici debeat, 215
Anima quando fornicari dicitur, 216. 218
Anima peccatrix quibus nominibus dicatur, 200
Anima quomodo intellegi debeat eſſe pars aut abſciſsio Dei, 17
Anima quomodo menti ſimilis fiat ſecundùm Platonem. 142,
Anima quomodo Dei *templum efficiatur,* 217
Anima quomodo fuſca fiat, 212
Quomodo fœtida ac grauiter olens, 232
Anima quomodo turpis fiat, 201
Anima quomodo ſpiritus participationem amiſerit, 205
Anima Sigillum Dei, 12
Anima regina, 268
Anima ſponſa & filia Chriſti, 269
Animæ cibus, 262
Animæ curuitas, 210
Animæ facies quæ ſit, 203
Animæ perfectio & beatitudo, 284
Animæ immortalitas probatur, 177
Animæ morbus malitia, 107
Animæ rugæ, 207
Animam fœtidam olidámque quid reddat, 234
Animam ſpiritus ſanctificatione renouari, 203
Animam ſimilem Deo *fieri* 274
Animam vniuerſi ſpiritũ ſanctũ dici a Triſmegiſto, 27

Animam

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA